CHRISTIANI WILDVOGELII
ICTI
CONSILIARII INTIMI SCABINAT. ET FACVLT.
IVRID. ASSESS. ET PROF. PVBL. ORD.
IENENSIS

COMMENTATIO IVRIDICA

DE

IVRE COLLECTARVM

von
Schoß- und Steuer-Recht.

IENAE,
EX OFFICINA SCHILLIANA,
MDCCL.

(9)

Digitized by Google

Digitized by Google

PROSCENIVM.

Cum materiam *de jure Collectarum*, perplexam, uſu quotidianam & in foro & judicum ſubſelliis frequentiſſimam; imo infinitis juris patribus eam eſſe diffuſam vel lippis & tonſoribus (ut ait Comicus) notum ſit. Non modicæ utilitatis eſſe futurum arbitror, ſi illa ſub diſquiſitionis Inauguralis incudem revocetur: ſiquidem quo difficilior materiæ eſt cognitio, eo maiori etiam cuivis eſſe debet curæ ipſius diſpectio & conſideratio, ne in ea con-

Digitized by Google

tra jus peccetur: inprimis cum Experientia omnium rerum Magiſtra doceat, quod *collectæ* non absque lachrymis ac ſuſpiriis poſtrema hujus mundi ſenecta ſolvantur. Quemadmodum vero Viri ingenui ea, quæ publici boni cauſa & bonæ intentionis gratia, honeſto & licito modo in medium proferuntur, non reprehendunt: ita Candidus Lector, ſi ingenii mei terminos dignitas materiæ exceſſiſſe viſa fuerit, condonet, & ſi alia minus ſcite occurrerint, æquiſſimi Prætoris reſtitutionem concedat, bonamque voluntatem meam *juxta l. 11. ff. de Condit. inſt.* reputet pro facto, rogo. Cum autem *juxta Bald. in rubr. Cod. de nov. Cod. comp. num. 1.* Omne Cauſarum principium ad Principium, quod eſt prima Cauſa Cauſarum, ſicuti eſt Deus, referri debeat, & quo accedente omnia efficiantur *arg. l. 1. ſ. 2 Cod. vet. jur. enucl.* merito & ego ab eodem Trino & uno Auſpice & Duce ſum facturus initium.

COM-

COMMENTATIO
DE IVRE COLLECTARVM.

§. I.

VT vero certus ordo in conſcribenda Diſputatione Inaugurali obſeruetur, ſiquidem ſecundum Imp. *in* §. *3. J. de leg.* hoc non ſeruato per rerum permiſtionem non rato quædam introducitur difficultas; placuit nominis explicationem, quæ eſt ſecundum Ariſt. *3. Met. c. 2. & 2. Top. 6.* optimum intelligendi principium, præmittere; hocce enim bene perpenſo tanquam potiſſima rei parte Gaj. *in l. 1. ff. de O. J.* eo facilius in intelligentiam ipſius rei prouehimur, §. *1. J. de Teſt.* Et ſane in controuerſia & cauſæ examinatione juxta *l. 3. & 7. ff. de ſupp. leg.* principaliter nominum & verborum ratio habere debet, cum a verborum intellectu cognitio rerum dependeat, Gell. *l. 2. c. 10.* Neque erit quiſquam tam peregrinus in iure hoſpes, qui neſciat quam curioſa, ne dicam pene ſuperſtitioſa fuerit Veterum JCtorum in inveſtigandis verborum ductibus proprietatem alicujus rei oſtendentibus induſtria; dum ad pleroſque juris laqueos enodandos inquiſiverint in vocum rationem & origines, ut patet ex §. 4. *J. de J. Perſ. pr. J. de libert.* §. 4. *J. de Tut. pr. J. de Teſt. Ordin. pr. J. quib. mod. re contr. abl. pr. J. de fidej.* §. *3. J. de Obl. quæ ex del. naſc.* §. *3. J. de publ. jud. l. 1. ff. de J. & J. l. 1. ff. de reb. Cred. l. 1.* §. *1. ff. de Pact. l. 5. ff. de pecul. l. 2. ff. de Sponſ. l. 1.* §. *1. ff de Tut. l. 1. ff. de Donat. l. 1. ff. de A. P. l. 1. ff. de Furt. l. 35.* §. *1. ff. de m. c. don.* Hinc nemo abſonum eſſe dixerit, ſi, antequam ad alia rei ipſi proximiora deueniam, præmittatur vocabuli Etymologia, quæ ad rerum notitiam multum conferre & vtplurimum a Doctis Viris attendi aſſolet. *l. 51. pr. ff. ad L. aquil. l. 2. C. de Defenſ. Civ. c. ſ. de renunc. in 6to.* In propatulo autem eſt, Collectam dici a colligendo, quod Germanis eſt ſamlen, zuſammen bringen ꝛc. vt ita haud ineleganter Plin.

 lib.

lib. 11. & Cic. *lib. 2. de Orat.* originem collectarum fuerit expiſcati, quos videre præſtat.

§. II.

Peracta nominis explicatione non immerito inueſtiganda veniet Collectarum Homonymia, quæ juxta ſcholam Philoſophorum Genetrix eſt errorum & controuerſiarum procreatrix, Scalig. *exerc. 140. n. 4.* Accipiuntur autem Collectæ vel *late* vel *ſtricte*; priori caſu denotant omnia & expendenda & exigenda tributa, inter quæ etiam Decimæ, cenſus & aliæ innumeræ penſiones, quæ ex bonis tributariis, cenſiticis, emphyteuticariis, ſuperficiariis & ſimilibus debentur, connumerantur *l. 31. de pign. & hypoth. l. 1. C. in quib. cauſ. pign. vel hyp. tac. contr.* Joh. Mich. Beuther. *Tr. de jure Præl. p. 1. c. 11. poſt med. verſ.* ferner ſo erſtrecket ſich ꝛc. *13.* Poſteriori vero pro iis tributis & collectis, quibus non niſi incolæ & ſubditi grauari ſolent, per *l. 6. ibi.* gloſſ. *ff. de mun.*. Mev. *2. Dec. 72. n. 21.* Mynſ. *5. Obſ. 22.* Utræque ſunt vel. *regulares ſive Ordinariæ*, vel *irregulares* ſive *extraordinariæ. l. ſ. C. de mun part. l. 1. in f. C. de indict. l. 5. C. de ann. & trib. l. un. C de vacat. publ. mun.* Illæ dicuntur, quæ rebus inhærent & quotannis reditus imminuunt, vel vt alii loqui amant, quæ juris diſpoſitione, lege, SCto, vel Principum Conſtitutione, in caſus certos ſolenniter conſtitutæ ſunt, *d. l. un. C. de vac. publ. mun.* & hæ regulariter poſſeſſores Prædiorum grauant omnes, *l. 4. C. de ann. & trib. l. 10. pr. ff. de vacat. & excuſ. mun.* Boc. *de Coll. 6. n. 6.* Thomat. *de mun. patr.* §. *exactio. 2. n. 21. & ſeqq.* Vulgariter & quidem Germanis vocantur Schoß, Erbzinß, Trifft-Geld, Land-und Tranckſteuer, de quibus peculiariter tractantes videri poſſunt Berlich. *Concluſ. pract. part. 2. concl. 47. n. 4. & 5.* Gail. *2. obſ 35. n. 9.* Dan Moller. *in comm. ad Conſt. Sax. p. 2. Conſt. 38. in f.* Hæ ſine *extraordinariæ* dicuntur, quæ imponuntur Perſonis, vt vt propter res earumque

occa-

occaſione, tamen non certa & ordinaria præſtatione, ſed prout caſus inopinatæ, inſolitæ & extremæ neceſſitatis publicæ poſtulant, ita vt modo majores, modo minores collectæ indici poſſint *l. 6. §. f. ff. de mun.* Crauetta *Conſ. 195. num. 6.* Gail. 2. *Obſer. 42.* Weſ. *Conſ. 27. num. 24. tom. 5.* Althuſ. *cap. 9. pol.* vel ut alii in hæc verba erumpentes dicunt, quæ non lege aliqua vel Conſtitutione Principum, ſed ex improuiſo, præter ſpem & opinionem & quandoque per accidens indicuntur, & ab his regulariter immunes ſunt priuilegiati, *l. 6. & 8. §. 3. ff. de vacat. & Excuſ. mun.* Et has nemo per æquitatem, ſi nimirum ad defenſionem terrarum tendant, detrectare poteſt etiam ſi bono ſua non ibi, quo collectatur, ſed alibi locorum habeat. arg. l. 7. *C. de SS. Eccleſ.* Gail. *de Obſ. 52. n. 25.* Natta *Conſil. 157. num. 12.* Pariſ. *Conſ. 25. n. 67.*

§. III.

Ne vero inueſtigata Collectarum homonymia, ſynonymiam hic neglectui habuiſſe videar; ſummatim illa attingenda erit; Variis etenim nominibus pro varietate linguarum & regionum Collectæ inſigniuntur. Apud JCtos audiunt INDICTIONES, vt refert Budæus ad *t. ff. de Off. quæſt.* TRIBVTIONES, PUBLICÆ ET FISCALES PENSITATIONES, *l. 1. C. de vac. publ. mun.* INTRIBVTIONES it. NECESSITATES, STATVTÆ, ANNVÆ EXACTIONES, vt annotat Berlich. *Concl. pr. 2. concl. 52. de I. detr.* Gail. 2. *Obſ. 53. n. 9.* Roſenth. *de F. c. 5. concl. 73. n. 4.* Molina Jeſuita *de Tribut. Diſp. 601. & 602.* Veteres appellarunt COLLATIONES, vid. Bodin. *lib. 1. de Rep. c. 2. n. 654.* Græci ſalutarunt ἔρανον, per quod vocabulum indicatur indictio *in l. un. C. de ſuperin. d. l. 2. C. de indict. l. pen. C. de Excuſ. mun.* In vernacula noſtra lingua vocantur Steuer, Hülfgeld, Anlag, Schoß, vt eleganter tradidit Eckold. *ad Schw. inſ. de Cenſ.* Carpz. 4. *Reſp. 79. & ſeqq.* Klok. *in Tr. de Contrib.*

§. IV.

§. IV.

Cum autem nemo rem recte cognoſcere poſſit, niſi ea fuerit breviter & apte explicata, Euerh. *in loc. arg. leg loc. 3. de def. in pr.* merito definitionem (quæ amuſſis Proprietatis & totius exactæ & methodicæ diſputationis ceu quoddam fundamentum, & anchorarum, quæ mentem, rei alicujus genium inueſtigantem & indubitationis mari, incertitudinis ductu fluctuantem ſiſtunt, omnium firmiſſima, Scalig. *Ex. 301. ſect. 1.* & qui hac ſpreta ad alia feſtinat, temporis naufragium patitur & operæ. Gal. *1. de meth. med. cap 5. lib. 5.*) materiæ collectarum, inter vtiles vtiliſſimæ, inter difficiles difficillimæ (quæ non eſt de glande legenda, aut de bulbo alii, ſed de ipſis rerum in Republ. gerendarum neruis, vt teſtatur Vlp. *in l. 1. §. 20. ff. de quæſt.* Thucid. *lib. 2. de bell. pelop*) ad pleniorem ac planiorem eius intellectum exhibere neceſſarium videtur. Quoniam vero valde ſunt periculoſæ in jure definitiones, raro enim fit, vt non ſubuertantur, vt eſt ſententia Jauoleni *l. 202. ff. de R. J.* hinc ſufficiet, ſi breuis rei narratio tradatur, unde quemadmodum Sabinus ait, ſaltem aliqua. Cauſæ coniectio eſſe poſſit, ex recenſione Pauli JCti *in l. 1. ff. de R. J.* Sunt igitur Collectæ, contributiones publicæ, pro commodo & neceſſitate Reipub. a Magiſtratu indictæ, vt Salus Reip. (quæ Magiſtratui, bono Chriſtiano & Ciui bono lex eſt ſuprema) intacta & illæſa conſeruetur, ſocietasque undique ſubleuata contra vim triumphet tutius: & propterea recte appellitantur Schoß und Steuer, quo cuilibet patrocinetur, maloque medeatur Magiſtratus, non vero Incolas deglubat atque excoriet, vt monuit Mart. Moll. *Dom. 23. Trin. in Prax. Evang.*

§. V.

Expoſita reali definitione, juſto ordine ad commodius pertractandam Collectarum materiam, ipſa ſe offert diuiſio, quæ animum legentis incitat, mentem præparat, & memoriam artificioſe informat, *arg. l. 1. ff. de dol. mal. & met. except.* Accurſ.

Digitized by Google

Accurſ. *in proœm. Inſt.* §. 4. Solet enim magis clarum magisque inceptibile eſſe quod diviſim traditur, Faber *ſup. rubr. I. de act.* & vt Schneidevv. *in pr. I. cod. n.* 2. ex mente Saliceti loquitur, qui bene diſtinguit, proximus eſt veritati. Licet vero Dd. varias Collectarum diuiſiones cumulare ſoleant, in praxi tamen uſu recepta & comprobata eſt hæc diviſio, qua dividuntur in *imperiales* & *provinciales*. Illæ, quas proprie vocare ſolemus, Reichs-Hülffe, vti ex Receſſ. Imp. conſtat, ad omnes Romano Imperio ſubjectos ſpectant, & ſunt, quas ſolus Imperator vi Majeſtatis ob Neceſſitatem publicam cum conſenſu ſtatuum imponit, i. e. quæ ex Regalibus ipſiusmet Imperatoris & imperii indictæ, ex ſpeciali conceſſione imperiali, ſubditis ſuis in ſubſidium a Statibus imponuntur. Jul. Clar. *in* §. *feud. quæſt.* 29. *n.* 1. Matth. Weſenb. *Conſ.* 198. & 320. *n.* 26. & *ſeq. vol.* 2. Et ab his collectis nemo habet immunitatem, atque adeo is, qui de Comitatu quodam ſub clauſula Frey und ohne Steur inveſtitus, licet exemtus ſit a præſtatione Collectarum provincialium, non tamen immunis erit ab onere Collectarum imperialium. Modeſt. Piſt. *Conſ.* 4. *vol.* 1. *in pr. n.* 5. & *ſeqq.* Hæ ſeu prouinciales ſunt, quæ ad certas referuntur provincias, vel quando Principes inferiores jus collectandi ſibi vendicant & non nude in ſignum ſubiectionis & ſuperioritatis, ſed etiam pro fructibus & emolumentis jurisdictionis, it. pro curis & laboribus, nec non in compenſationem Expenſarum, quas Domini facere & pati debent, pro Pace & quiete tenenda inter Subditos, pro ſua dignitate ſervanda, pro ſalariis officialium ad iuſtitiam adminiſtrandam, exiguntur, prout loquitur Nicol. Everh. jun. *vol.* 1. *Conſ.* 10. *n.* 28. Simon de Prætis *vol.* 3. *Conſ.* 10. *n.* 3. Beſold. *de Iurisd. Imp. Rom. qu.* 19. *circa f.* Et has Principes & Status Imperii in ſuis prouinciis indicere ſæpiſſime ex populi conſenſu potius & publica vrgente neceſſitate, quam ex abſoluto imperio, teſtatur Garſias *de Expenſ. c.* 271. *n.* 31 Roland. a Valle *Conſ.* 1. *num.* 62. Natta *Conſ.* 487. *num.* 1. & *ſeqq. lib.* 3. Schurff. *Conſ.* 9. *lib.* 1. Petr. Heig. *p.* 1. *qu.* 18. *num.* 6. fiuntque in

B bona

Digitized by Google

bona immobilia ſecundum Sexagenas, nach den Schocken, quem diſtributionis modum in collectis ordinariis ſuo relinquimus valori; Si vero neceſſitas vrgeat, puta incurſus hoſtium, & ſubditos extraordinarie pro auertenda ruina totali collectari jubeat, quod ſane temporibus noſtris accidit ſæpisſime, diſtributionem ſecundum æs & libram h.e. ſecundum vires & quantitatem cujusque patrimonii & obuentionum, æquiſſimam iudico, huncque modum Magiſtratus, cui in caſu neceſſitatis vigore jurisdictionis diſtributio incumbit; ſequendo æquiſſime pariter & tutiſſime agit, ſecundum tradita Bart. *in l. 1. n. 8. C. de apoch. publ.* Bl. *in l. 1. C. de Cenſib.* Ægid. Thomat. *in Tr. de coll. n. 6. & 10. in pr. §. retenta. n. 2. & §. ſubjiciunt. n. 17.* Weſenb. *Conſ. 103. & 215. per tot.* Bocer. *de Coll. c. 8. n. 4. & c. 12. per tot.* idque non ſolummodo per text. J. Ciu. in l. 1. ibi: *Ciuilia munera per ordinem pro modo fortunarum ſuſtinenda ſunt. C. de mun. patr. l. 4. C. quemadm. ciu. mun. indic. l. 1. & 4. C. de Cenſ. l. C. de Apoch. publ. l. 4. & 5. ff. de Cenſ. l. 6. & 15. ff. de mun. & hon.* quibus in LL. diſtributio pro modo facultatum, ſiue ſecundum æs & libram expresſe fundata, & ab Impp. *Anton. Dioclet. Maxim. Honor. Theod.* &c. nec non a JCtis *Vlp. & Papin.* maxime probata reperitur: verum etiam ex natura collectarum: ſunt enim collectæ onera fructuum, ac ratione penſionis & perceptionis illorum potiſſimum expenduntur *l. 13. verb. functionum. C. de act. emt. l. 2. C. de ann. & trib. l. 33.* vbi Bl. & Salycet. *C. de Cenſ.* Camill. Borell. *Conſ. 63. n. 23.* Crauett. *Conſ. 195. n. 1.*

§. VI.

Cum in jure noſtro expeditum ſit, vt ea, quæ Perſonas (quæ cætera animalia omnia, excellentia & præſtantia multis relinquunt paraſangis, longeque diſtant ab illis, vt Paul. *in l. 44. pr. ff. de Ædil. Edict. l. 2. ff. de ſtat. hom. l. 28. §. 1. ff. de Vſur.* & imperator *in §. 37. J. d. R D.* iuſtiſſime monuerunt) concernunt, primo omnium ſint dijudicanda, *§. vlt. J. de J. N. G. & C.*

Digitized by Google

G.& C. l. 1. ff. de Tut. l. 4. qui teſt. fac. poſſ. Hinc methodo haud inſolitæ (qua deficiente abundat confuſio. Nou. 1. *c.1.* §. *ſi quis verſ. inordinatum* vbi gloſſ. vnde Bl. inquit: *quod ordo ſit modus agendi, ſine quo nihil recte agitur, arg. l. 30. ff. de lib. & poſth. l. 8. §. 17. de Tranſ. l. 4. ff. de ſent. & interloc. omn. jud.*) morem geram, & ſepoſitis cæteris omnibus, primo loco agam de ſubiecto, cui jus collectandi competit, & quod collectas imponere poteſt, vbi ſciendum, quod ſoli imperatori tanquam ſummo imperii Moderatori (qui Dominus mundi ſeu Orbis *in l. 9 ff. ad L. Rhod. de jact.* nominatur, quo nihil in terris dicitur eſſe ſuperius, in *l. f. C. de LL.* & lectu dignum puto illud Beſoldi *claſſ. 1. diſp. pol. 1. th. 38.* inquientis: *Sicut in hoc terrarum Orbe Vnus eſt Deus, qui moderatur, in corpore phyſico, vna anima quæ imperat; ita Imperator tanquam ſummus & primus Imperium noſtrum regit & gubernat.*) cum conſenſu tamen Statuum competat poteſtas, collectas imponendi; quia ad regalia, quæ non niſi ſummo attribuuntur, *l. 1. C. de iud.* infertur. Menoch. *Conſ. 32. n. 70. vol. 1.* Borch. *de F. c. d. Regal. n 53.* Roſenth. *de F. c. 5. concl. 74. n. 1.* Inferioribus autem, Principibus ſc. & Statibus Imperii ex Imperatoris ſpeciali conceſſione. Gail. *de arreſt. c. 6. n. 26.*

§. VII.

Quoniam Ciuitatibus non minus ac Principibus in ſuis territoriis jus collectandi competit, *l. 1. §. 41. ff. de aqu. quotid. & æſt.* annectendum erit, quod hoc non generaliter locum inueniat in quibuslibet Ciuitatibus, ſed illis tantum, quæ merum imperium & omnimodam jurisdictionem habent & exercent. *l. 1. §. 1. ff quod cuj. Vn. nom.* Schurff. *Conſ. 44. n. 3.* Et inter has referuntur. Ciuitates liberæ, vulgo Freye Reichs-Stádte, quæ imperio immediate ſubjectæ ſunt, ſiquidem ejusmodi Ciuitates non minus ac Principes in ſuis ditionibus, juribus ſuperioritatis vtuntur, & ita Regalium eſſe capaces, & ad eorum exemplum regalia & fiſcalia jura habere intelliguntur,

tur; Beſold. *claſſ.* 1. *diſp. pol.* 9. *th.* 10. Rutg. Rul. *Lib.* 5. *de Commiſſ. c.* 44 *n.* 41. Angel. *Conſ.* 352. *n.* 1. Et ſane liberas Imperii Ciuitates ſuperioritatem territorialem habere, integro cap. deduxit Reinking. *de Reg. Sec. & Eccl.* (1) quia habent territorium, quod immediate a Cæſare recognoſcunt, Eg. & illud quod territorio annexum, ſuperioritatem ſcilicet; (2) quia inter Status imperii receptæ, non itaque nomen inane habere debent; quanquam hoc argumentum non adeo ſtringat, cum non ſequatur: hic eſt ſtatus, Eg. habet ſuperioritatem, nam Statum in eſſe ſuo conficit jus ſeſſuræ & ſuffragii, quod eſſe poteſt ſine territorio, licet jure moderno ex Capitulationibus requiratur tanquam *Cauſa ſine qua non*, habere territorium, (3) quia habent ius reformandi, aliosque actus ad ius Epiſcopale pertinentes exercere poſſunt. Nec obſtat quod ſuperioritas territorialis dicatur, die Landes Fürſtl. Obrigkeit, ita enim a perſona dominante denominatur, ſic quæ in Principe eſt Landes Fürſtl. in Comite Gräffl. id in Ciuitate dicitur Städtlich, & ſic deinceps. Meichſner. *tom.* 2. *lib.* 1. *Deciſ.* 8. *n.* 3. Præterea eſt, quod ius ſeſſuræ a & ſuffragii in Comitiis habeant.

§. VIII.

Dictum fuit proxime quod Ciuitates Imperii ius ſuffragii habeant, valde vero controuertitur; an ſaltem *votum conſultatiuum* habeant, an vero & *deciſiuum*, ita vt diſſentiendo diſcrepantem ſententiam propugnare poſſint? Prius affirmant plurimi, inter quos Arumæus *de Comitiis c.* 7. *n.* 147. *nam Electores & Principes vbi circa punctum propoſitionis concluſerunt, ſolent inter ſe non vocatis Ciuitatum nuntiis referre: ſi conſentiant, punctum habetur pro concluſo, ſi vero inter ſe diſſentiant, Cæſari vtraque pars votum ſuum refert, nec poſſunt nuntii Ciuitatum voto ſuo alterutri parti accedere, perque hoc pluralitatem, quæ tamen effectus eſt voti deciſiui, facere.* Poſterius, quod & verius videtur, defendunt alii citati a

Rumel.

Digitized by Google

Rumel. *ad A. B. p. 2. diſſert. th. 4. in addit. l. f.* (1) quia ſunt Status (2) Receſſus imperii ab illis quoque ſubſcriptione & appoſitione ſigillorum muniuntur. (3) ſub hac formula ad Comitia vocantur; Ihr wollet erſcheinen, neben und mit andern Reichs-Ständen helffen handhaben, rathen und beſchlieſſen. (4) In plurimis imperii decretis hæc verba habentur, Und wir Chur-Fürſten, Fürſten, Prælaten, Graffen und Herren, und der Frey- und Reichs-Städte Geſandten, Bottſchafften und Gewalthabere bekennen öffentlich mit dieſem Abſchied, daß alle und iede Puncten und Articul mit unſerm Wiſſen und Rath vorgenommen und beſchloſſen, quo quid clarius (ait Beſold. *de Stat. Reip. ſubaltern. c. 5. n. 9.*) & ad rei propoſitæ comprobationem dilucidius proponi poſſet non video: plura argumenta congeſſit Coth. *Vol. 3. Reſp. 29. n. 523. & ſeq.* quæ excerpta exhibentur a Fritſchio *i. addit. ad Limn. Lib. VII. c. 1. p. m. 190.* & quid opus eſt longa argumentorum ſerie, cum hæc quæſt. ratione *An?* per inſtrumentum Pacis Oſnab. *art. 8. §. tam in Vniuerſalibus*, ſatis deciſa ſit, ſicet in quæſtione *quomodo?* ſeu in modo exercendi ejus voti difficultas hærere videatur, cum duo Superiora Collegia Electorale & Principum ad re- & correlationem non libenter ſoleant Ciuitates admittere. Conf Herden in der Grundveſt des Heil. Röm. Reichs *p. 2. cap. 6.*

§. IX.

Cæterum vt ad propoſitum meum reuertar, in ſuperioribus mentionem feci Ciuitatum Imperialium, nunc conſiderandum, quid de Prouincialibus ſit ſtatuendum. Has vero collectas etiam imponere poſſe, extra dubium poſitum, quando nempe Regalia vel jurisdictionem exercent. P. Gregor. *2. de Republ. c. 1. n. 5. & 13.* Burſat. *Conſ. 159. n. 1.* Dubium mouere videtur *l. vectigalia. C. vect. nou. inſt. non poſſe*, & text. *in l. vn. C. de ſuperind*, vbi colligere licet, quod nemo

poſſit collectas imponere, niſi *Imperator*, aut niſi fiat cum illius conſenſu; Reſp. quod hoc ſit intelligendum de collectis imponendis in toto Imperio, pro neceſſitate ſeu vtilitate publica totius Imperii, non vero pro neceſſitate vnius prouinciæ vel Ciuitatis, vbi etiam ipſa Ciuitas vel Præſes Provinciæ diſponere valet. Bart. *in l. vn. C. de mul. & in quo loc. n. 14.* Si vero Conſuetudo (quæ inſtar legis eſt, & in omnibus informat & dirigit actus, & ideo inprimis conſideranda atque ſequenda. Fab. *in C. Lib. 4. t. 7. def. 21.*) in contrarium adſit, vt ex nulla cauſa Ciuitas abſque conſenſu Principis Collectas imponere poſſit, tunc ſtricte ſeruanda, Loſæus *de J. Vniu. p. 3. c. 9. n. 3.* Inſuper ſciendum, quod in caſu extremæ neceſſitatis quælibet Ciuitas vel vniuerſitas, licet regalibus & jurisdictionalibus deſtituta ſit, ſine conſenſu & licentia ſuperioris, conuocatis omnibus ciuibus ad collationem voluntariam ſe adſtringere poſſit, *l. 3. §. f.* vbi gloſſ. *in verb. proconſ. ff. quod cuj. vniu. nom.* Lancellot. *de decurion. n. 94.* Borcholt. *cap de regal. num. 54.* Landrecht *lib. 3. art. vlt. inf.* Pet. Heig. 1. *qu. jur. 17. n. 45.* Siquidem neceſſitas, nullam agnoſcit legem, ſed ab omni immunis, opus autem eſt vt omnes Ciues conſentiant; Nam vbi quis ſentire poteſt damnum, ibi & ejus expreſſi conſenſus ratio attendi debet; ita in ejusmodi collectis quilibet conſenſum adhibeat æquam eſt: quod enim omnes tangit ab omnibus etiam deberi approbari.

§. X.

Priusquam vlterius progreſſus fiat, ſcite conducit, qualis ordo ac modus in executione Collectarum obſeruandus veniat; hinc excutienda erit ante omnia Burſa communis, ſi ſcilicet Vniuerſitas bona in communi habeat, antequam ad ſingulorum Burſam deueniatur. Atque ita procedendum non ſolummodo propter æs alienum Principum vel Magiſtratuum cauſa contractum; ſed etiam propter onera, quibus Ciuitas premitur, vtpote, quod caſu neceſſitatis curet refici muros, pontes aut alia pro defenſione ipſius Ciuitatis facienda, vid. Steph.

Steph. Bertrand. *Conſ. 197. rubr. vol. 5.* ipſum rectæ rationis dictamen, (quod eſt communis lex ad omnes hujus generis caſus, Nicol. Euerh. *in ſuis loc. top. in loco a lege ceſſante p. 2. v. hoc tamen.*) ſuadet. In harum itaque exactione modus in jure præſcriptus obſeruari debet, ne quicquam vltra debitum extorqueatur. Gentilet. adu. Machiau. *in princ. theor. 1. fol. 32.* Heig. *qu. 18. num. 3.*

§. XI.

Hactenus monſtratum dedi, quid obſeruandum ſit circa Cauſſ. Eff. ſeu circa hos, quibus jus collectandi competit & quibus non, ſeu quibus quidem competit, ſed cum conſenſu ſuperioris, vel ſine illo, qualis quoque ordo ratione collectarum ſeruari debeat & quomodo hic procedendum. Agendum nunc ratione diſtributionis collectarum, quomodo imponenda, vel quid & quantum nomine illarum exigendum ſit: ratio autem eſt æqualitas & commenſuratio in impoſitione & diſtributione Collectarum debita, quæ rite ponderari & ad unguem teneri debet, & ne hac in re exceſſus fiat, nominandi ſunt Peræquatores, Cenſitores olim dicti, qui Sapientia, Prudentia, Fidelitate, bona Conſcientia & optima Integritate ſunt conſpicui, *arg. l. 1. C. de Condit. in publ. horr.* Propterea ſtatim in principio ſuſcepti officii jurare debent quod commiſſam curam & ſollicitudinem ſepoſitis omni dolo ac fraude diligenter cuſtodire velint, *arg. l. 12. C. de erogat. milit. ann.* hoc facto, æſtimum i. e. librum cenſualem ſ. codicem rationum de omnibus Poſſeſſorum bonis conficere & conſcribere debent, *arg. l. 31. ff. de ſtat. hom.* Deinde quomodo æqualitas vel inæqualitas ſit dijudicanda, monſtrat. Iuſtinianus *in Nouell. 97. pr.* dicens æqualitatem non in verbis & literis, ſed in rebus ipſis ac negotiis conſiſtere debere.

§. XII.

Vt vero æſtimum (dicitur alias cataſtrum) valorem habeat, rite confici debet. Ad ſequentia autem juxta Meu.

4. Dec.

Digitized by Google

4. *Dec. 34. n. 3.* attendendum (1) fieri debet publica authoritate (2) vocatis iis quorum bona deſcribi debent (3) conſideratis & taxatis ſingulorum bonis (4) cum inſinuatione actis publicis facta: videri præterea poteſt, ne prolixitati ſtudere videar, Franciſc. de Claper. *in cent. cauſ. fiſc. cauſ. 36. quæſt. 2.* Et ſane merito paſſim vſu receptum eſt (quanquam mos cujusuis regionis inſpiciendus *l. 1. §. 15. inf. ff. de inſp. ventr. cuſt. p.* vt cujusque patrimonii facultates ponderentur, & ſecundum eas diſtributio fiat atque exactio, *l. 2. C. de ann. & trib.* Alex. *in l. 4. n. 15. & 16. ff. de re jud. l. 6. C. de vectig. & comm. l. 12. C. de op. publ. l. 6. §. vlt. ff. de mun. & bon.* Huc non pertinet iſta exactio ſiue collectarum indictio, quæ fit per Fumantes, Germanice nach den Feuerſtädten, de qua Berlich. *Concl. pr. p. 1. concl. 52.* Gail. *de arreſt. c. 9. n. 16.* Nec Capitatio, nach den Häuptern graece ἐπικεφαλία, vbi quilibet Ciuium aliquid, vt Toloſ. *Lib. 3. c. 5. ſect. 7.* notat, v. g. aureum juxta *l. 1. C. de capit. Ciu. cenſ. exim.* pro ſuo capite ſoluere tenetur, ſicut in Belgio, Italia, cæteriſque prouinciis vſitatum legimus. vid. *l. 2. C. de imm. nem. conced.*

§. XIII.

Non immerito Magiſtratus cogitationes ſuas eo dirigere debet, vt par & æqualis illationis forma obſeruetur, *lib. 7. C. de ann. & trib.* nec vltra modum & contra juris diſpoſitionem quis oneretur & prematur *l. 3. C. de ann. & trib.* quia vbi æqualis Reip. neceſſitas eſt, vbi quoque æquale omnium ſubſidii refrigerium eſſe debet, *l. 12. C. de oper. publ. l. 1. & 2. ff. ad L. Rhod. de jact.* Inſuper certo certius eſt, quod inæqualitas mater ſis rixarum, quæ ſemper periculoſa, & ex qua totius Reip. interitus metuendus. *Clement. 2. de Sepult.* ideoque cane pejus & angue vitanda; hinc vetuſtate tritum illud a B. Dn. Luthero notatum non inconcinne huc trahi poterit Daus Es hat nichts, Sechs Zincke gibt nichts, quater drey die helffen frey; plenis igitur buccis dilaudanda eſt eorum opinio,

in

in impoſitionibus & exactionibus proportionem opum, & divitiarum conſiderari debere concludentium, Anachars. apud V. Max. *Lib. 7. c. 2.* LLbus propterea & æquitate, (quæ in omnibus maxime attenditur, *l. 12. & l. 144. ff. de R. J. l. 1. C. comm. diuid.* Auth. *æqualitas. C. de pact. conu. &c.*) reſpondere & ſecundum illas procedere decet, *l. 8. & 11. C. de jud. l. 51. ff. ad L. aquil.*

§. XIV.

Hoc loco & illud omitti non debet, quod in exactione Collectarum non conceſſum ſit, vt vni aliquid remittatur, & alteri attribuatur, ex ſingulari forte fauore; ſiquidem illa vera eſt juſtitia, quæ ſuum cuique tribuit, *pr. J. & l. 10 ff. de J. & J.* qui aliis dat & aliis eripit, non miſericordiam exercet, ſed extremam injuſtitiam operatur; Iuſtitia namque, ſecundum Caſſianum, non nouit Patrem, non Matrem, veritatem nouit; perſonam non accipit, Deum imitatur; & contra jura eſt, vt quis cum alterius detrimento ditetur *l. 206. ff. de R. J.* recte inde Dd. plerique libertatem Principis in immunitatibus concedendis eo reſtringunt, vt portio priuilegiati, in concedentis Principis, non autem Vniuerſitas detrimentum imputetur, per text. *in l. 4. C. de Exact. trib.* Bocer. *de coll. c. 11. n. 54.* Klock. *de contrib. c. 16. n. 67.* Siquidem indubitati juris eſt, vt vnusquisque ſuum non alterius onus portet, *l. 1. C. vt nullus ex vicaneis* &c. ſicuti vnus non debet odio alterius prægrauari. *l. 22. C. de pœn.* Steph. Bertrand. *Conſil. 192. n. 3. vol. 6.* & non admittit vt vnus ſit debitor, alius vero pro eo executiatur. *Nou. 59. c. 1.* Et notatu dignum apophtegma Caroli V. de quo Zenocarus mentionem facit. *Sicuti Sol non eſt alius inopi, alius locupleti: ita Reges & Magiſtratus perſonam ſpectare non debent, ſed rem; Juſtitiaque & beneuolentia eorum omnibus Ciuibus ſuis patere debet.*

§. XV.

Deinde circa exactiones Collectarum ſumma mediocri-

tatis ratio haberi debet, vt eleganter Dn. Carpzou. *L. 4. t. 10. Reſp. 72. n. 9. & ſeqq.* monuit, conuenire, vt proportionabiliter ſubditi collectentur, & dandam eſſe operam: ne quidam grauius quidam leuius cenſiteantur *l. 3. §. 15. ff. de mun. & bon. l. 4. C. quemmad. Ciu. mun. ind. l. 10. C. de fund. patr. l. 12. C. de ann. & trib.* Crauett. *Conſ. 195. n. 9.* Boc. *c. 12. n. 16.* Peccat igitur Magiſtratus qui contra *jus. Nat.* Ciues ſuos nimis & iniquis diuexat exactionibus & tributis, & ſatius foret, ſi illud Imperat. Maximil. I. perpenderet dicentis: *Tene menſuram & reſpice finem.* Notandum itaque eſt, quod potius ad conſeruationem antiquarum, quam ad nouas ſollicite exigendas reſpiciendum ſit, ſiquidem hic probe conſiderandum quod D. Simon Gædic. *in Poſt. Dom. 23. Trin.* hac de re ſtatuit, his verbis: **Chriſtliche Obrigkeit ſoll es bey dem vorigen und alten Satzungen bewenden laſſen, auch einen ſolchen Hoff halten, daß Sie ihrer Unterthanen Schweiß und Blut nicht ausſauffen noch ausſaugen, ſonſten werden Sie kein Glück noch Segen haben.** Olim quidem tempore Julii Cæſaris erant centeſimæ, quadrageſimæ quinquageſimæ &c. Tacit. *Lib. 13. annal.* Hodie vero vt experientia teſtatur, ſunt *jugeralia*, quæ de agris pendi ſolent; *Capitatio*, quando ſinguli Ciues aliquid viritim pro capite numerare jubentur, Tholoſ. *L. 3. Pol. c. 4. & 5. ſect. 7. & 17.* hujusque farinæ innumera Collectarum genera, de quibus fuſius Althuſius *cap. 10.* egit. Verum enim vero quilibet Magiſtratus ſeu ſuperior, cum Pater ſit ſubditorum, debet pro ipſis conſilium capere & eorum ſaluti omnimodo conſulere, ſicut Pietas paterni nominis pro liberis *l. 22. ff. ad L. Jul. de adult.* Quæ pietas ipſum ad hoc exſtimulare debet, *arg. l. 36. §. 1. ff. de Excuſat. Tut.* Vt enim Tutela, ſic & Procuratio Reip. ad vtilitatem eorum qui commiſſi ſunt, non ad eorum quibus commiſſa eſt, gerenda, Cic. *lib. 1. Off.* ſiquidem in *l. 3. C. de j. Reip.* Reſp. æquiparatur Pupillis, ac velut Pupilla eſt juuanda. Imo magiſtratus qui adeo rigoroſi ſunt, & nimiam crudelitatem in exigendis

exigendis exercent tributis & collectis erga ſubditos, & Magiſtratus officio & juriſdictione priuari poſſunt & debent, Dd. *arg. l. 2. ff. de his, qui ſunt ſui vel alien. juris.* Nam non ſtatim quod libet, licet: grauis ſane vox eſt illa Papiniani in *l. 15. ff. de Condit. inſt.* poſſe id demum quemquam, quod jure, quod honeſtate & dignitate ſalua poteſt *l. 125 ff. de Verb. Signif. l. 55. ff. de l. 18. ff. de Condit. inſt. l. 54. §. 1. ff. locat. add.* Barb. *locupl. L. 14. c. 47. ax. 7. & 8.*

§. XVI.

Obſeruandum præterea, ne Collectæ indicentur illicitæ, inhoneſtæ, olentes Fiſci lucrum, & priuatam Procerum commoditatem, ſed ſolummodo ad publicam omnium vtilitatem vergentes; juſte namque Deo fit judicio, vt cum præter fas & æquam multis illi malefecerint, veniant aliqui, qui jure ipſis malefaciunt. Anthon. de Gueuarra *in horol. Princip. c. 3. lib. 3.* & lex talionis eſt, **Mit dem Maß da ihr mit meſſet, wird man euch wieder meſſen.** Hinc Seneca inquit: *Nihil nobis exhibetur moleſtiæ, quod non aliis exhibuerimus; nihil aſpergitur ignominiæ, quod non aliis aſperſimus, nihil infertur injuriæ, quod non aliis intulerimus, Lib. 3. c. 37.* & ſane quod nobis fieri nolumus, nec aliis faciamus, nobis autem res eripi nolumus, facias hoc alteri, quod tibi vis fieri & contra. *c. 1. diſt. 1. c. 4. in l. diſt. 45.*

§. XVII.

Ad propoſitum, unde ἀπαλλαγὴ ſeu digreſſio facta, vt redeam, coguntur ſubditi ad præſtationem & ſolutionem Collectarum, *Nov. 8. pr.* Proinde & *Jure Civ.* Collectas non ſoluentis bona pignori capiuntur & diſtrahi jubentur. *l. 5. §. f. ff. de Cenſ. l. 1. & 2. C. de cap. & diſtr. p. trib. cauſa.* Aſt non quemquam fugit, æquitatis in omnibus cauſis potiorem, quam rigoris rationem haberi debere. *l. 8. C. de jud.* modo non ſit cerebrina, ſed ex ipſis LL. viſceribus & arte juris eruta, qua de re vid. Reinking. *de Reg. S. & E. l. 2. c. 12. n. 13.* Schnob. *diſp. 1. §. 24. & l. 90. ff. de R. J.* Hinc conſultius erit, ſi collecta potius ſua-

ſione quam vi & manu militari exigantur, quia violentia maximas dat in Rep. turbas, & ab obedientia & ſubjectione avocat Subditos & plebejos, eorumque animos exulcerat & exaſperat quam facillime. Et merito ſummorum Iudicum mos & obſeruantia eſt, non ſemper jus ſtrictum vrgere, ſed interdum id quod humanius eſt, ſequi. Petr. Heig. *quæſt. 10. n. 40. 43.* Cagnol. *in l. 2. n. 148. C. de reſc. vend.* Mynſing. *Obſ. 27. Cent. 1. Obſ. 26. cent. 4.* And. Gail. *lib. 1. Obſ. 42.* Aerod. *rer. jud. lib. 10. t. 1. c. 1.* Carpzou. *L. 10. t. 9. Reſp. 110. n. 17.* Nemo enim ad peram & ſaccum vſque excutiendus eſt, ſed humanitas exigit, vt ipſi in bonis tantum relinquatur, unde ſe poſſit pro dignitate & ſtatu alere *l. 173. ff. de R. J.* hinc potius beneficiis quam injuriis homines oportet affici ab hominibus. *l. 7. ff. de ſeru. oport.* Eckold. *ad ff. in t. de Seru. export. §. 1.*

§. XIIX.

Supra monſtratum fuit, in colligendis collectis quemque teneri pro quantitate patrimonii, ex *l. C. 2. de imm. nem. conced.* ſequitur inde a contrario, quod diminutio facultatum ſuperueniens juſtam remiſſionis cauſam inducat, *l. 4. §. 1. ff. de Cenſ.* Crauett. *Conſ. 195. n. 6.* Sed an ob imminutionem territorii releuentur ſiue minuantur collectæ, in Camera aliquoties dubitatum fuiſſe, refert Mynſing. 3. *Obſ. 34.* Verum tamen eſt quod Collectæ diminuantur pro rata diminuti patrimonii, diminutis enim bonis, collectæ diminuuntur *l. 4. C. de cenſ. & Cenſit. d. l. 4. ff. de Cenſ.* Hinc pro modo agrorum, quia non Perſonis ſed rebus imponi ſolent *l. 3. C. de ann. & trib.* & ſecundum cujusque facultates, collectæ indicuntur, per *l. 5. ff. de Cenſ. l. 2. C. de ann. & trib. & l. 2. C. de alluu.* vbi dicitur, quod tributa & collectæ juxta incrementum & decrementum rei augeantur & diminuantur; ſequitur Eg. Reum non eſſe conveniendum vltra modum rerum, qua poſſidet, quia nemo vltra menſuram ſuarum facultatum grauari debet, *l. 1. C. de mun. patr.*

patr. l. 3. C. de diſcuſſor. l. 6. ff. de mun. & bon. Gail. *1. Obſ. 21. num. 18.* Mynſ. *3. Obſ. 34.*

§. XIX.

Quæritur etiam an propter ſterilitatem fiat remiſſio Collectarum, multoties enim conqueruntur Homines, ſe temporis iniuria, alioue caſu fortuito ſterilitatem fuiſſe paſſos, vt inde remiſſionem aliquam hac in parte ab Exactoribus conſequantur *arg. l. 8. C. de Loc. Cond. c. 3. X. eod.* Reſp. quod ſi diuina vel humana vi contingat aliquis caſus fortuitus, per quem cauſetur maxima ſterilitas fructuum, & intolerabile damnum; remiſſio Collectarum fieri debeat, ita, vt non teneatur eas ſoluere poſſeſſor *l. 15. C. de omn. agr. deſert.* text. *in d. c. 3. X. locat.* juris enim expediti eſt, in genere & vulgariter neminem debere caſum præſtare fortuitum *l 23. ff. de R. J.* & caſum fortuitum nemine damnoſum eſſe *l. 1. C. commod. l. 1. §. 4. ff. de O. & A. l. 2. §. ff. de per. & comm. rei. Vend. l. 25. §. 6. ff. locati Cond.* Dubitatur autem, quænam dicatur ſterilitas & intolerabile damnum ad hoc, vt remiſſionem Collectarum operari queat? varias & diuerſas hic inuenimus opiniones; Alii enim dicunt, quod detrimentum ſit ex Vulgi opinione æſtimandum; Gloſſ. *in l. 8. C. locat.* vult, quod magnum dicatur, quando deducto ſemine, & impenſis omnibus deductis, non remanent aliqui fructus, *arg. text. in l. 7. ff. ſolut. matr. & c. l. 36. §. 5. ff. de hered. pet. l. 51. pr. ff. fam. herciſc.* Alii, ſi ſoluta penſione & deductis impenſis, vltra dimidium iuſti pretii quis deceptus ſit. Vid. Gail. *2. Obſ. 23.* Cujac *15. Obſ. 28.* Menoch. *2. arb. jud. cent. 1. caſ. 76.* Rectius iudicis æſtimationi, pro ratione circumſtantiarum id determinantis, relinquimus cum A. Dn. Struu. *Ex 24 th. 16.* Accidit tamen nonnunquam, vt id quod propter ſterilitatem & inopiam fuit remiſſum, ob ſupervenientem copioſam fœcunditatem iterum reſarciatur *l. 8. C. de fideic. libert.* Carpzou. *p. 2. C. 37. d. 12.*

§. XX.

Praedictis aſſociat ſe quæſtio de Vniuerſitate, an hæc, ſi collectas præſtare debeat, aucta vel imminuta ad maiores vel minores teneatur? negatiua videtur probabilis ob hanc rationem, quia vniuerſitas non creſcit, neque decreſcit, ſed ſemper eadem manet, *l. 76. ff. de judic.* Loſæus *de J. Vniu. pag. 1. c. 1. n. 30.* Hinc ſi Ciuitati alicui aut Vniuerſitati, vt corpori aliquid indicatur, & aliquos in illa Vniuerſitate immunes fieri oporteat, ea de cauſa, quod agri ſteriles, aridi, aut omnino inutiles & infrugiferi facti, non propterea Principi quicquam decedit, neque Ciuitas vel vniuerſitas ideo minus ſoluit, ſed deficientium portionem reliqui Ciues in ſe ſuſcipere coguntur. *l. 4. C. de Cenſ.* Montiſpelin. *Conſ. 1. n. 10. & 11.* ſecus eſt in collectis præſtandis a ſingulis perſonis, tunc enim vnus pro aliis non tenetur. Bart. *in l. 2. C. de ap. publ.* Fab. *in C. lib. 3. t. 12. def. 40. n. 4.* Hic non incongrue notari poteſt, quod ſi Ciuitas vel Vniuerſitas contraxerit debitum, Ciues conueniri nequaquam poſſint, quamuis aliud aliis arrideat; namquod debetur ab Vniuerſitate, non debetur a ſingulis, vt eſt eleg. text. *in l. 7. §. 1. ff. quod cujus. Vniverſ. nom.* & quæ Vniuerſitatis ſunt, ex ſingulorum numero excluduntur; *l. 6. §. 1. ff. de R.* D. *l. 10. §. 4. ff. de inj. voc.* & quod debetur Vniuerſitati, non ſingulis ſtatim competit; ſimiliter Actor Vniuerſitatis non dicitur Actor ſingulorum, & qui interuenit pro illa, non interuenit pro ſingulis, *l. 2. ibique* Bart. *ff. de R. D.* A contrario ergo, qui interuenit pro ſingulis non interuenit pro Vniuerſitate, *§. 6. J. de R. D.* quia aliud eſt Vniuerſitas, aliud ſinguli de Vniuerſitate, vt notat Steph. Bertrand. *in Conſ. 42. n. 7. vol. 2. part. alt. & Conſ. 500. n. 4. vol. 4. & Conſ. 192. n. 4. vol. 6.* Hæc vsque adeo obſeruantur & procedunt, vt ne quidem ſtatuto effici poſſit, quo Vniuerſitas factum ſingulorum præſtet, & contra. *Bl. in l. 4. junct. Auth. n. 2. C. ne vx. pro mar.* Iaſ. *in l. 33. §. 1. n. 3. C. de inoff. teſtam.*

§. 21.

§. XXI.

Coincidit hic quæſtio, quam Dd. *in l. 27. ff. ſi cert. pet.* & *l. 4. pr. ff. de re jud.* tradunt, quomodo executio Sententiæ ratione Collectarum contra Vniuerſitatem fieri debeat? Conſtat autem inter omnes, & juris æquitatis ratio requirit, vt pro debito Vniuerſitatis capi non poſſint perſonæ ſingulares, quia ipſæ non debent, ſed Vniuerſitas, niſi ſpecialiter & prægnanti ex cauſa, non tantum bona Vniuerſitatis, ſed & ſingularum perſonarum eſſent obligata, per eos qui habent jus obligandi Vniuerſitatem *d.d. LL.* Deinde reſpiciendum eſt, an Ciuitas habeat bona communia, v. g. nemora vel fundos &c. tunc executio fieri debet in bona illa communia Vniuerſitatis & non in res ſingulorum; an vero non habeat communia bona, tunc executio fieri debet ita, vt Vniuerſitas cogatur imponere collectas, quarum exactione debitum vel collectæ ſolui poſſunt, vt eſt gloſſ. *in l. §. 2. verb. Proconſ. ff. quod cuj. Vn. nom.* Ex ſimili fere fundamento deducitur, ſi contribuendum ſit pro ſoluenda pœna, quam Vniuerſitas incurrit delinquendo, eos tantummodo teneri qui delinquerunt, non alios, nim. Pupillos Minores 25. annis, Infirmos & alias miſerabiles perſonas, Viduas, Clericos, Senes & Abſentes. Caualcan. *Deciſ. 68. n. 12. & 13. fol 533.* Delictum enim Vniuerſitatis non eſt ſingulorum, vt ſupra dictum, & vbi multitudo deliquit, in ſingolos animaduertendum non eſt, ſed ſufficit animaduerſio in paucos, præſertim eos, qui delicti fuerunt Authores. Crauetta *Conſ. 21. n. 8. & Conſ. 488. n 17.* Dn. Frideborn, Secret. Stetin *pag. 2. & 56. hiſt. ſtet.* Liu. *lib. 4.*

§. XXII.

Hic quærere libet de reparanda Eccleſia, quorum ſumtibus illa reſtaurari debeat? Reſp. quod inprimis Conſuetudo (quæ pro jure & lege merito ſeruari debet, vt Julianus notat *in l. 32. pr. & §. 1. ff. de LL. l. 33. ff. eod. l. 11.* ibique gloſſ. *ff. de Dec.* & Dn. Parens *in ſua inaugurali diſput. conſcripta* DE JURE NON SCRIPTO.) ſit inſpicienda, Bertrand. *Conſ. 116. n. 11. vol. 1.*

part.

Digitized by Google

part. poſt. & ſi de illa conſtet, ita, vt per eam onus transferatur in populum, ſeu in alios, illa cuſtodiri omnino debet, *arg.c.42.X.de Sim.* quia maxime intereſt, Eccleſiam eſſe fabricatam & bene reparatam, cum in ea Parochiani recipiant ſacramenta, & ſi facultatibus labantur, alimenta & vitæ ſuæ ſubſidia percipiant, *per c.30. c.16. q.7.* Erg. mirum non eſt, ſi conſuetudine hoc iuducatur, vt Populus vel Laici hoc onus ſuſtineant: nam qui emolumentum percipit, merito & onus ſentire debet, juxt. verſ. *Commoda qui ſentis jungas onus emolumentis l.1. §.4. & 9. Cod. d. Cad. toll. l.22. §.3. in f. Cod. de Furt.* Si vero de Conſuetudine hujusmodi non appareat, tunc videndum eſt an Eccleſia habeat pro Fabrica vel reparatione illius aliquam portionem deputatam, & ſi eam habeat, hæc ad fabricam vel reparationem illius impendi debet, *c.3. C. X. q.3.* Sin autem portio ad reſtaurationem illius deputata non ſufficiat, & alias non conſtet de conſuetudine transferente onus in Populum; tunc Rector ſeu Curatus parochialis, & beneficiati, ſecundum quod percipiunt in Eccleſia parochiali, conferre debent, *c.1. & 4. X. de Eccleſ. ædif. & rep. C.22. c.16 q.1.* Facit etiam quod Clerici dum viuunt, æquiparentur Vſufructuario, per id quod ſcribit gloſſ. *in c.9. de Off. Ord. in 6to. c.16. X. de teſtam. & vlt. vol. c.7. c.12. q.1.* Jam vero Vſufructuarii tenentur res conſeruare, vt patet ex definitione Vſusfructus, qui eſt jus, vtendi fruendi alienis rebus, ſalua earum ſubſtantia *l.1. ff. de vſufr.* & tenentur Vſufructuarii ad ſarta tecta reficienda aut reparanda *l.7. §.2. ff. de vſufr. l.7. C. eod.* Et ſane Beneficiati contribuere tenentur, modo iis aliquid ſuperſit de ſuis prouentibus, per id quo habetur in *d. c.4. X. de Eccleſ. ædif. &c.* Cæterum ſi iuxta conſuetudinem Populus ad reparationem tenetnr, non immerito quæritur, an & Forenſes & Extranei obligentur ad ſoluendas collectas, quæ fiunt pro fabrica vel reparatione Eccleſiæ? Negant Dd. etiamſi intra limites ejusdem Eccleſiæ bona habeant, teneant aut poſſideant: & merito, quia hi vtpote Extranei, & non incolæ aut habitatores,

non

Digitized by Google

con recipiunt ibi ſacramenta Eccleſiaſtica, ſed ea recipiunt & recipere debent a ſuis Curatis, ſeu propriis Sacerdotibus Eccleſiæ, in qua fouent domicilium; vbi etiam diebus domin. & aliis magnis Feſtis debent audire Prædicationes, vid. plene hæc tractantem Steph. Bertrand. *Conſ. 126. n. 12. vol. 1. part. poſteriori.*

§. XXIII.

Hactenus de modo diſtribuendi Collectas, & huic quæ adjuncta eſſe videbantur, diſpeximus. Nunc ad fundamentum Collectarum progredi neceſſe erit: eo vero non ſubſiſtente vel falſo & ſimulato exiſtente, ſuperſtructa & ædificata corruunt, atque dependentia falſa & ſimulata cenſentur. *l. 5. C. de bon. mat.* Pariſius *Conſ. 53. n. 13. vol. 1.* Decian. *vol. 3. Conſ. 62. num. 82.* Hinc fundamentum ſeu cauſa ob quam indicuntur Collectæ, non leuis ſeu ficta eſſe, ſed vnice, vniceque ad ſolam neceſſitatem & vtilitatem publicam reſpectum habere debet, Cacheran. *Conſ. 31. n. 26.* Eluceſcit itaque, Principi abſque cauſa legitima ſubditos ſuos Collectis prægrauare non licere, quia alias inter Principem & hoſtem nulla foret differentia, imo æquius ſubditi ab Hoſtibus, quam a propriis opprimerentur. Tholoſ. *Lib. 9. de Rep. c. 1.* Et licet ex illa ratione, quod Princeps ſolutus ſit LL. fluere videatur, quod Subditos pro beneplacito collectare poſſit; ſciendum tamen eſt, quod licet LLbus dicatur ſolutus, in *l. 30. ff. de LL. l. 4. C. eod. l. 23. ff. de leg. & fid. 3. l. 3. C.* de *teſtam. c. 9. q. 3.* tamen LLbus aut ſecundum eas eum viuere deceat, §. *f. J. quib. mod. teſt. inf.* ſeu vt Bl. inquit *in l. 2. n. 4. C. de Seruitut. & aq. Quod Princeps licet ſit ſolutus lege poſitiua, non tamen eſt ſolutus a dictamine rectæ rationis, nec a lege Naturæ*, quia eſt animal rationale & politicum, ſicut quispiam alius. Crauetta *de Antiquitat. temp. p. 1. n. 46.* Maranta *in aureo ſuo ſpec. p. 3. n. 40. vsque ad 46.* Grot. *de J. B. ac P. L. 2. c. 14. §. 9.* Puffend. *de J. N. & G. l. 1. c. 6. §. 14. p. 97.* Hæc cum ita ſint, non licebit Principi mutare quadrata rotundis, & frangere legem conuentionis ſiue

contractus. *l. 30. ff. de LL.* & vt præclare declarat Hippolid. Riminald. *in l. 1. n. 157. ff. quod quisque j. &c.* ſic contra contractum ſine vrgente neceſſitate venire non debet, quia in hoc caſu ſe habet inſtar priuati. *d. l. 4. C. de LL.* Gail. *2. Obſ. 55. n. 2.* Coraſ. *miſcell. jur. C. Lib. 2. c. 25.* idcirco non ſolum quod licet, ſed quod honeſtum conſiderandum eſt *l. 34. ff. de R. J. l. 144. & 197. ff. eod. l. 12. ff. de rit. nupt.* Hinc poſſe dicimur quod honeſte poſſumus, *c. f. de Reſcript. in 6to. & c. 22. q. 2.* & quod honeſte non poſſumus id non poſſe dicimur. *l. 15. ff. de condit. inſtit.* quæ enim Pietatem, exiſtimationem, bonam famam lædunt, & in genere, quæ contra bonos mores ſunt, nec facere nos poſſe exiſtimandum, *ex d. l. 15. ff. de Cond. inſt. l. 125. ff. de V. Signif.*

§. XXIV.

Hoc loco vlteriori diſquiſitione eget illud, quod ſpargitur, Principem abſque conſenſu & ſuffragio Populi, vel illorum, qui populum repræſentant, collectas imponere poſſe, vid. Strigel. *in h. l.* & Dn. Joh. Gerhard. *loc. Theolog. tom. 6. de magiſtr. pol. c. 5. ſect. 1. mihi fol. 760.* vbi etiam pro hac ſententia multa copioſe allegat; Plurimis negatiua opinio non modo probabilis, ſed etiam æquitatis plena videtur, Statuentibus, quod collectæ ſine conſenſu populi indicendæ non ſint; & nemo eſt omnium Principum, inquit Comineus *Lib. 10.* qui jus habeat vel imum teruncium a Subditis exigendi, præter conſtiturum cenſum, niſi aſſenſum Populus interponat. Conferatur Dn. a Seckendorff. im teutſchen Fürſten Staat P. 3. c. 1. §. 4. Dn. D. Bruckner *in Tr. de Domaniis c. 4. n. 3.* Et ſane collectas non niſi cum Ordinum conſenſu indici poſſe, paſſim in Europa obſeruatur: teſtis eſt Hiſpania cum Anglia vt nihil dicam de Imperio noſtro & vicina Polonia, imo Regibus non plus in eo genere licere, putat Bodinus *lib. 1. c. 8. p. 142. de Republ.* caſum ſummae neceſſitatis ſaltem excipit. Hinc Politici Remp. in corruptam & rectam diſpeſcunt, hanc vocant, in qua Magiſtratus publicae vtilitatis gratia ſecundum LL. populo

lo volenti imperar; illam vero appellantes ideo corruptam ſeu degenerantem, in qua Princeps citra LL. propter ſui ipſius vtilitates populo reluctante ac inuito dominatur. Illud certum eſt, nullo fere remedio melius declinari inuidiam, quæ ex tributorum exactione oritur, quam conſeuſu ſubditorum adhibito: tum enim, quod quisque ſponte ſubit onus, graue non eſt, aut ſaltem continentiore cum patientia fertur, prout loquitur Ziegl. *d. Jur. Majeſt. L. 2.c.3.*§.2. Caeterum ſi in Principatu aliquo contrarium inualuerit, vt videmus in Gallia, Suecia, Dania, in quibus regnis Imperantes ad beneplacitum nunc quidem (olim non erat ſic) collectas imponunt, iſta tributorum exactio nec naturae Rerumpubl. repugnat, nec jubente ita Regni forma & legibus improbanda eſt.

§. XXV.

Quod attinet Imperium Romano Germanicum, in eo Collectas imperiales (Germ. Reichsſteuer, Reichsanlage, Reichshülffe) indicit Caeſar, ob jura Majeſtatis, quae in eo reſident, Schütz. *vol. 1. Diſp. 3. th. 14.* inter quae jus collectandi numerari debet, Sixtin. *Lib. 1. de Regal. c. 2.* nec quicquam facit, quod hoc a Caeſarea maieſtate Statibus imperii ſit conceſſum, & quidem jure proprio quoad Collectas prouinciales. Schuz. *vol. 1. Diſp. 6. th. 5. lit. G.* quibus tamen Majeſtatem qua talem velle aſſerere abſonum foret. Nam hi non jure Majeſtatis. ſed potius Superioritatis territorialis vel regalium jure collectas indicunt. Caeterum haec poteſtas Collectandi non adeo libera, vt Caeſarea Maieſtas ſuo tantum pro arbitrio eas indicere valeat, potius admodum reſtricta eſt, ita, vt non aliter, quam praeuio conſilio & conſenſu Imperii Statuum collectae imponi poſſint: Conuenit hoc LLbus imperii fundamentalibus; & cum bello ſuperiori tricennali nouis & inuſitatis exactionibus Status non requiſiti, nec conſentientes premerentur, adeo vt ſaepius conqueſti fuerint (t) non ſeruari ordinem: Man ſetze die Contributiones durch praecept und Geboth an, welches wie-

der

der des Reichs Herkommen. Die Kayſerl. Maieſtät pflege von ihren Erblanden die Hülfsmittel auf ordentl. Land- und Fürſten-Tage zu begehen, mit dem Heiligen Römiſchen Reich aber, deſſen Hoheit, Præeminenz und Freyheit durch die Welt bekant, wolle man anders verfahren. (2) Non obſeruari modum & menſuram debitam. (3.) etiam impoſſibilia & injuſta exigi, quæ omnia latius proſequitur *in Limn. enucleat.* Oldenburger *l. 1. c. 18. §. 32.*) neceſſarium viſum fuit hanc clauſulam Capitulationibus adjungere, weilen die Zeit über dieſes noch leidigen Krieges-weſens, in Anſehung und Einbringung der Steuern des Heiligen Reichs fundamental-Geſetze und das alte löbl. Herkommen, vielfältig überſchritten, ſo ſoll dadurch dem gemeldten Reichs-Satzungen kein Abbruch geſchehen, noch dasjenige, was alſo vorgangen, inskünfftige zu einer Conſequenz, oder als wäre es ſo Herkommens, angezogen werden, *Capit. Ferdinand. III. art. 4.* atque ita Cæſar per Capitulationes magis adſtringitur, ne ſine conſilio & conſenſu Statuum collectas indicat, verba Capit. ita ſe habet: Dergleichen die Churfürſten und andere Reichsſtände mit Ußlagen und Steuren unnothdürfftiglich, und ohne redlich tapfere Urſachen nicht beladen und beſchweren, auch in zugelaſſenen Fällen die Steuer und Aufflegen ohne Wiſſen und Willen der 6 Churfürſten nicht anſetzen; firmantur jura Statuum hac in re per Inſtrument. Pac. *art. 8 §. gaudeant*, vid. Burgold. *part. 3. ad Inſt. Pac. Diſc. 2. num. 5.* Et ordinarie quidem collectæ cum conſenſu Statuum imponi debent, ſi vero caſus ſummæ neceſſitatis adſit Electorum ſaltem conſenſus ſufficit, cæterorum Statuum conſulatione excluſa, juxta *Capit. Ferd.* III. §. 14. ex quo §. ſimul conſtat, quod deliberatio de iisdem inſtitui debeat vel in plenis comitiis vel in Conuentibus Circularibus, poſterius tamen

men ægre a Statibus, & non niſi in caſu extremæ neceſſitatis admitti ſolet; non vna enim atque altera vice propterea conqueſti ſunt, vti conſtat ex literis a Statibus Euangelicis in conuentu Lipſiæ ad Cæſarem An. 1631. 18. Mart. datis: Die Contribution durch Creiſſe handeln zu laſſen, ſey nicht thunlich, ſondern wiederſprochen worden. Vid. Limn. *in addit. ad ſuum jus publ. l. 4. c. 7. & ad Cap. Ferdin. III. art. 14.*

§. XXVI.

Licet vero Cæſarea Majeſtas non niſi cum conſenſu Statuum collectas indicat, haud tamen propterea poteſtas iſta indicendi collectas Statibus attribui debet, ceu quidem male facis Bodin. qui paſſim in *Lib. de Rep.* & præcipue *lib. 2. c. 6.* nihil intactum reliquit, quicquid ad imminuendum auguſtiſſimi Imperii noſtri decus facere videbatur, cujus calumnias & mendacia alii ſatis demonſtrant, vid. Heig. *Lib. 1. quæſt. 2. n. 17. & quæſt. 11.* Waremund. ab Ehrenberg *in meditat. pro fœder. c. 1. n. 177. & c. 2. n. 183.* Imo Cæſareæ majeſtati propterea nihil quicquam decedit, quaſi Status Imperii in Conſortium Cæſareæ majeſtatis ſint aſſumti, quod falſiſſimum, et ne quidem de Statibus collectiue ſumtis dici poteſt, multo minus de Singulis. Sane ſtatus ſunt ſubjectum Majeſtatis paſſiuum, Cæſar actiuum, & licet hic in negotiis arduis conſenſum Statuum adhibere debeat, hoc tamen non imminuit ipſius majeſtatem, ſed cadit ſaltem in modum exercendi illam; hic circumſcriptus eſſe poteſt illæſa majeſtate, vel vt alii dicunt, Status quoties ipſorum conſenſu requiritur, ſuſtinent cauſam *ſine qua non*, cui male effectus operationis tribuitur; & licet in negotiis, vbi conſenſu illorum opus eſt, quicquid ſine illo Cæſar agat, nullum ſit, tamen hoc non procedit ex defectu Majeſtatis a parte Cæſaris, ſed quod moraliter agens actui hoc vel illo modo non obſeruato, antecedenter nullitatem inducere poſſit. Hoc circa quæſtionem theoreticam magis quam practicam monere viſum fuit.

Digitized by Google

§. XXVII.

Cum vero cum conſenſu Statuum collectæ indici debeant, quæritur: an majora vota ſufficiant, ita vt hæc ligent Diſſentientes? Quæſtionem hanc pro vtraque parte late tractat Klock. *de Contribut. c. 6. per tot.* ipſeque affirmatiuam ſuſtinet, rationes in Compendio videri poſſunt apud Schuz *vol. 2. Diſp. XI. th. 8. l. a.* Sane regulariter major pars in iis, quæ ad plures tanquam Vniuerſitatem quandam ſpectant, ſufficit, quod variis exemplis tam ex J. Can. quam Ciu. deſumtis probat Klock. *loc. cit.* Interim Proteſtantes in nonnullis v. gr. (1) negotiis religionis (2) in cauſis vbi inter Catholicos & Reformatos tanquam partes litigantes diſceptatur, (3) in materia Collectarum, cum durum ſit, daß einer in des andern Beutel in infinitum votire, & aliis quibusdam, admittere hoc noluerunt, vid. Schuz *loc. cit.* Ipſe tamen judicium ſuſpendit, cum in Inſtrum. Pacis Oſnabr. & Monaſt. quæſtio indeciſa remanſerit, & ad proxima Comitia fuerit remiſſa. Dici hic poſſet de modo collectandi ſecundum denarium communem, nach dem gemeinem Pfennig, qui tamen modus exoleuit: & de eo, qui fit ſecundum expeditionem Romanam, atque hodie adhuc in vſu eſt; vt & de Collectis Imperii, quæ vel Ordinariæ, quo pertinet der Anſchlag des Römerzugs, Kraft deſſen ein jeder Stand eine gewiſſe Anzahl Volcks zu Roß und Fuß zu halten verpflichtet, it. Contributio Statuum zu Erhaltung des Cammer-Gerichts: Vel extraordinariæ, quo pertinet die Türckenſteuer, vt & aliæ vel pacis vel belli tempore ob neceſſitatem indictæ collectæ; Verum cum de modo imponendi collectas in imperio agam, iſta extra propoſitum thema eſſe videntur, legi tamen merentur quæ habet Carpzou. *ad L. R. C. 8. ſect. 5. & 6.* it. Oldenburg. *in Limn. enucleato Lib. 2. c. 18. n. 33. & ſeqq.*

§. XXVIII.

Actum hactenus de Collectis imperialibus, ſequuntur Circu-

Circulares, quæ ob negotia circularia vel aliam neceſſitatem cum membrorum Circularium conſenſu imponuntur, & ab omnibus Ordinibus qui ſunt de circulo, debentur, R. A. zu Augſpurg *de anno 1555.* §. und damit die Oberſten, *& ſeq.* §. ferner als: An vero iſtæ poſſint dici Collectæ circulares, vel an non rectius Imperiales dicantur, cum & hujus generis Collectæ, non a Ducibus & Executoribus, qui jure conceſſo, non proprio, collectas indicunt, neque ab ipſis Circulis, quippe qui ſubiectum agens conſtituunt non patiens, ſed vel lege publica vel indicente Imperatore imponantur? diſquirit Schuz. *Vol. 2. Diſp. 11. th. 5. lit. K.*. Sane Circulares vocari poſſunt, vel ab objecto, quod propter negotia circularia indicantur; vel a Subjecto paſſiuo, cum imponantur Circulis. Klock. *Contrib. c. 2. num. 142.* Illud, quantum ad propoſitum noſtrum facit, adhuc monendum, quod Collectæ circulares non niſi cum conſenſu Ordinum circularium imponi poſſint & debeant: quod maxime obtinet in iis Collectis, quæ non tam nomine Imperatoris, ſed certa & ſpeciali conuentione præuiaque de liberatione conſtituuntur v. gr. ad ſalaria Officialium & aliarum rerum vſum, vocantur ſæpius *interims* Anlage, vid. Dn. Muller *pecul. Tract. de Comment. Circul. c. 10. n. 26. & 28.* vbi caſum ſummæ neceſſitatis excipit.

§. XXIX.

Quod Prouinciales attinet, dicuntur illæ Landſteuer; has Subditis ſuis imponunt Status imperii vi ſuperioritatis territorialis. Meichſner. *tom. 2. lib. 2. deciſ. vlt. n. 177.* & earum præſtatio eſt nota Superioritatis ſeu ſublimioris eminentiæ. Sixtin. *de regal. l. 2. c. 14. num. 21.* adeo, vt is, cui præſtantur, habeat intentionem ſuperioritatis fundatam, Meichſner. *t. 2. l. 1. D. 8. n. 11.* & locus qui collectas ſoluit, præſumatur eſſe de territorio Collectantis. Matth. Steph. *de Juriſd. Lib 2. p. 1. c. 7. num. 455.* ac Dominus probata quaſi poſſeſſione, (ad quam probandam ſufficit vnicus actus quietus non violentus aut vitioſus, Cacher.

Dec.

Digitized by Google

Dec. 91. num. 5. Weſenb. *Conſ. 28. num. 20.* nam generaliter in incorporalibus per vnicum actum legitimum acquiritur quaſi poſſeſſio, Menoch. *de arbit. Caſ. 160.* eaque ſententia communiter recepta atque ita judicatum in cauſa Ingelheim contra Chur Pfaltz Meichſner. *tom. 2. lib. 2. dec. vlt. n. 133.*) quæ conſiſtit in Collectarum exactione, contra turbantem manutenendus, contra ſpoliantem interdicto de vi vel vi armata juuandus ſit, Gylman. *in Symphoremat. tom. 3. t. 1. vot. 5. n. 9.* Et ſane receptior ſententia eſt, quod jus collectandi indifferenter inter regalia referri videatur. Vid. Roſenth. *& plures ab ipſo cit. Dd. cap. 5. concl. 74. n. 1.* Meichſner. *tom. 2. lib. 1. deciſ. 9. num. 2.* & quod impoſitio Collectarum non ſit jurisdictionis, auch den Gerichten nicht anhängig, ſondern in die hohe Obrigkeit und Regalia gehörig. Illud tamen ſciendum, quod ſi quis ex ſpeciali jure, priuilegio, conuentione vel præſcriptione jus collectandi in territorio alieno acquiſiuerit, hoc caſu non pertineat ad Superioritatem territorialem ſed vel præciſe ad regalia, vel ſi perſona exigens illorum ſit incapax, ad priuilegia referri debeat, Matth. Steph. *L. 2. p. 1. c. 7. num. 461.* Sic & juxta Roſenthal. *c. 5. concl. 74.* merum & mixtum imperium habens (præſertim ſi alius iſtic loci hoc regale non exerceat) videtur pro loci vtilitate & neceſſitate Collectas indicere poſſe, daß er die Unterthanen zu des Orths fürfallender Nothturfft und erheiſchendem Nutzen mit ziemlichen und gebührlichen Schatzungen und Anlagen zu belegen Macht habe. Atque ita Camera judicauit in cauſa Comitis de Hanau contra Hatgau incolas ſc. aliquot pagorum, teſte Roſenth. *c. l.*

§. XXX.

Quanquam vero Status habeant jus Collectandi vi ſuperioritatis territorialis, non tamen ſecundum beneplacitum collectas quando volunt & quantum, indicere poſſunt; nam illud in Imperio obſeruatur, quod non niſi præuia deliberatione

nec cum Statibus prouincialibus, quæ ſuper Cauſa exactionis, ſuper quantitate, item ſuper modo imponendi inſtituitur, eorumque conſenſu indici debeant; & cum in Comitiis acriter diſputatum fuerit, an ſubditi priuilegiis omnibus, quibus forte gaudent, non obſtantibus, contribuere teneantur, nec eorum querelæ audiri debeant? quod Status Imperii inſtanter vrgebant, reſolutio Cæſarea ſecuta fuit, cuius tenorem exhibet, Dn. Fritſchius *in addit. ad Limn. l. 4. c. 7. n. 54.* ſc. quod; ſicuti Electores, Principes & Status non ſaltem iuxta §. gleichwie R. A. *de ao. 1654.* & ob alias imperii neceſſitates impoſitas collectas, jure collectandi Subditos gaudere debeant, nec non ſi per conſuetudinem, priuilegium vel obſeruantiam legitime hoc jure collectandi vſi fuiſſent, in poſterum hoc ipſis illæſum relinquatur; ſubditique debitas collectas in futurum præſtare debeant; ita quoque maxime æquum & juſtum ſit, ne ob iniquas impoſitiones, & exactiones duriſſimas contra Dominum territorialem, denegetur auxilium ſubditis, qui juſte conqueruntur. Illud ſaltem monetur, ne in ſupremis Imperii judiciis ad Subditorum querelas, proceſſus facile, maxime mandata & reſcripta impoſterum decernantur.

§. XXXI.

Cæterum & illud notari debet, quod etiam Ciuitates nec regalia, nec jurisdictionem habentes, vt & quæuis Vniuerſitates ſine licentia Superioris ad onera Vniuerſitatis ſuſtinenda indicere Collectas, datias &c. & exigere poſſint; imo nonnulli volunt, Ciuitates ſtatuto aut pacto ſancire poſſe & conuenire, vt Ciues non tamen alii (nam vt forenſes illud ſoluant, non facile ſtatuere licebit, quia hoc eſt noua veſtigalia inſtituere, quod eſt prohibitum *t. v. C. nou. vectig.* Roſenth. *de F. c. 5. concl. 76.*) de commerciis quædam vectigalia ſoluant, Gœden *Conſ. 2. num. 9.* Duo ad hoc autem requiruntur (1) juſta & legitima cauſa *l. 2. ibi: ne plus poſcatur quam neceſſitas exigit. C.* de *oper. publ.* quinam vero ſint iſti caſus neceſſitatis, videri poteſt apud

E Dd.

Digitized by Google

Dd. quos longa ſerie citat Roſenth. *de F. c. 5. concl. 75. lit. a.* it. Burſatus *Conſ. 16.* extat talis *in l. 7. & l. 12. C. de oper. publ.* (2) Decretum & conſenſus totius Vniuerſitatis, adeo vt maior pars minori præjudicare non poſſit, Reinking. *de R. S. & E. lib. 1. Cl. 5. c. 4. n. 173.* Interim ſi nonnulli ſine ratione recuſent tale munus ſubire, a Superiore ad id adigi poſſunt; videantur citati Dd. a Klock *de Contrib. c. 5. num. 103.* Cæterum ſi conſuetudo in contrarium vigeat, ne ſcil. Ciuitas vlla ex cauſa collectas inconſulto Principe imponere queat, ea ſeruanda eſt. Klock. *de Contrib. c. 5. n. 109.* Obſeruandum tamen, hanc collectam ex mutua contribuentium conuentione & voluntate in vim pacti taciti ſubſiſtere, nec vllum arguere imperium, multo minus de Regalibus cenſeri, vti loquitur Klock. *cit. cap. num. 104.* vbi etiam *num. 3.* habet, quod nec Principi de his rationem ſibi reddi, aut annuis Vniuerſitatis rationibus ſuo nomine quem adhiberi poſtulanti, obſequi teneatur Ciuitas.

§. XXXII.

Hactenus de Collectis, quomodo in imperio, Circulis & territoriis indicantur; nunc ad illud, quod non rato contingit, accingi oportet: quæritur nimirum, an (ſi Princeps vel Superior ſumma vrgeatur neceſſitate & collectæ non ſufficiant ad propellendum imminens periculum) Ciuitates, oppida ac villæ, diuitesque ac opulenti Subditi cogi poſſint, vt tantum, quantum ſufficit, exſoluant, ſaltem ſub ſpecie mutui impoſterum ipſis reſtituendi? Sane modus extorquendi per vim apertam improbandus eſt, ideoque ignominioſum eſſe Principi tale committenti, ait Valer. Max. *lib. 2. c. 1.* Interim Subditi obligati ſunt, adeoque etiam adſtringi poſſunt, vt vrgente inopia Principi dent pecuniam mutuam. Notandum tamen, quod ceſſante iſta neceſſitate & Rep. jam ſalua, ſi idoneos & ſufficientes reditus habeat Princeps, ad reſtitutionem pecuniæ mutuo a Ciuibus datæ & quidem cum conſuetis & moderatis vſuris eſſe obligatum, quod & honeſtum & ſalutare:

re: in tali enim mutuo licite recipiuntur vſuræ moderatæ, Gail. 2. *Obſ. 5. n. 17.* Heig. *part. poſt. quæſt. 1. n. 140.* Natta *Conſ. 12. n. 5. & 6. lib. 1.* Cacheran. *Deciſ. 95.* Vaſq. *de ſucceſſ. Creat. lib. 1. §. 6. n. 21. & ſeqq.* Bruckman. *de ſoluta poteſtat. c. 4. memb. 2. eff. 4. n. 1. & ſeqq.* alias de J. Ciu. vſuræ non niſi ex ſtipulatu debentur. *l. 24 ff. de P. V. l. 3. C. de Vſur.* Hodie etiam ex pacto & mora *R. J. de anno 1654. §.* anreichend die künftige Zinß. Zang. *de Except. p. 3. c. 25. n. 6.* Hahn. *ad t. de Vſ. & Fruct. p. 47.* Lauterb. *in comp. ad t. de Reb. Cred. p. m. 268. & ad t. d. Vſ. & Fruct. p. m 669. 670. & 676. vbi prolixe hæc omnia proſequitur.* Atque hiſce prædictis oneribus Ciues ita alligantur, vt nullus prætextu alicuius priuilegii ſe excuſare poſſit, *arg. l. 1. C. vt nem lic. in emt. & l.* quod tamen notabiliter declaratur, verum eſſe in priuilegiis ex mera liberalitate, non vero ex conuentione, pacto vel contractu conceſſis *l. 9. & ſeqq. ff. de J. & J.* Si vero hæc omnia modo narrata ſolam priuatam Domini vtilitatem, nec commune Patriæ commodum reſpiciant, Subditos exactionibus premere & onerare a Jure abhorret. Brunn. *Conſ. 32. n. 7.* Zaſ. *de Feud. p. 7. n. 51.*

§. XXXIII.

Abſoluta Perſonarum Collectas imponentium conſideratione, reſolutis itidem Collectarum modis & explicatis harum cauſis legitimis, ratio inſtituti poſtulat, vt quibus Collectæ imponi poſſint, & pro qnibus bonis debeantur, diſpiciamus. Collectas autem a Subditis, incolis & Ciuibus exigi poſſe, text. eſt *in l. 6. §. 5. l. 18. §. 21. ff. de mun. & bon. l. vn. C. de mulier.* Gail. 2. *Obſ. 52. n. 73.* quia ius Collectandi praeſupponit ſubjectionem; ambigui namque juris non eſt, quod ſubiectio & jus Superioritatis potiſſimum ex collectandi iure probentur, *l. 3. per ill. text. C. de nat. lib.* Natta *Conſ. 672. n. 1. & ſeqq.* Crauetta *Conſ. 412. n. 13. & 14.* Caeterum Subditus proprie dicitur a loco, vbi habitat, ſeu ratione domicilii, in quo ſedem poſuit fortunarum ſuarum, vt patet ex *l. 20. ff. ad*

Digitized by Google

municip. l. 39. §. 5. eod. l. 5. & 7. C. de incolis & vbi &c. & quidem cum animo perpetuo ibi permanendi, Bachou. *ad Treutl. vol. 2. diſp. 18 th. 2. lit. A. l 17. §. 13. ff. ad munic.* id quod in Camera quoque obſeruari, tradit Roſenth. *c. 6. concl. 85. ſub lit. M. Tr. de Feud.* Gail. *lib. 1. 2. de pignorat. cap. 15. n. 3. & 2. Obſ. 35 n. 1. & 2. & de arreſt. imp. c. 6. n. 16.* Duo itaque requiruntur ad conſtituendum domicilium, habitatio & animus permandi perpetuo, quam in rem egregie Paul. *in l. 20. ff. ad munic.* aſſerit, ajens: *domicilium & re & facto transferri non nuda conteſtatione.* Eck. *ad Schw. in t. ad munic. & de incol.* Carpzou. 2. *Reſp. 21. n. 12.* Gail. *2. Obſ. 35. n. 7.* Lauterb. *in comp. ad t. de jud. p. m. 162.* Praeterea duobus in locis aliquem domicilium habere abſurdum non eſt, maxime ſi quis inſtructus duobus locis æqualiter, neque hic quam illic minus frequenter commoretur, & vtrobique deſtinato adſit animo *l. 27. § 2 ad Municip.* ſic non tantum ab incolis, Ciuibus ac Subditis pro rebus in loco domicilii ſitis, & vbi focum & ignem habent, ſed etiam pro bonis in alieno territorio ſitis collectæ exigi poſſunt, dummodo in loco territorii a collectis ſint immunes. Gail. *2. Obſ. 53 n. 10.* Mynſing. *5. Obſeru. 22. n. 2. & 3.* qui teſtatur hanc quaeſtionem in Camera quidem fuiſſe controuerſam, ſed ſemper indeciſam manſiſſe: Ipſe licet negatiuam veriorem magisque receptam eſſe velit, tamen in multis caſibus non habere locum aſſerit, quos caſus refert. *n. 6. & ſeq.*

§. XXXIV.

Atque hinc decidi poteſt quaeſtio, an ſubditus qui duobus locis habitationem conſtituit, poſſit in duobus quoque ratione bonorum collectari? Neg. multi relati a Cothmanno *Conſ. 11. a n. 66. vsque ad 88.* Aff. Natt. *Conſ. 105. n. 8.* Schurff. *1. Conſ. 44 n. 11.* Verum adhibito diſtinctionis remedio & affirmatiua cum negatiua ſtare poteſt, ita vt prior ſententia valeat quando ſuperior, qui vtriusque loci ſupremus eſt, collectas indicit, vid. Meichſner. *tom. 2. lib. 1. deciſ. n. 66.*

n. 66. vsque 78. vbi hanc ſubjicit obſeruationem, quod vbi collecta imponitur ab eo qui habet in omni loco vniformem potentiam, vt a Supremo Principe, tum Collectas quis ſoluere debeat pro omnibus rebus quas habet vbique, vbi vero imponitur ab alio inferiore, tum collectae pro rebus extra territorium ſitis extendi nequeant, eo quod bona ſubjecta ipſius jurisdictioni non ſint, atque ita poſteriore hoc caſu negatiua procedit. Nam ne confuſio jurisdictionis ſuboriatur & tumultui majori praebeatur anſa, *l. 176. ff. de R. J.* nulli extra territorium jurisdictionem ſuam exercendi jus eſſe, apparet ex *l. f. ff. de jurisd. omn. jud. c. f. X. de Conſt.* tranquillius ſane & tutius agitur, ſi vnusquisque ſuum competentem eumque immediatum agnoſcat & cognoſcere debeat Magiſtratum, *l. f. ff. de jurisd. l. 30. ff. de judic.* inde eſt quod ſingulis judicibus ſingula ſua tribunalia, & coram illis cognitio & dijudicatio ſingularum rerum relinquantur, *d. l. f. l. 4 C. de jurisdict. omn. jud. &c. c. 11. qu. 1.* Modeſt. Piſt. *Conſ. 34. n. 7. vol. 1.* Deinde juris indubitati eſt, neminem duplici onere grauari, vel in duobus locis bis collectari debere; *l. 34. §. 5. ff. de leg, 2.* nec praeterea res vna eodem & diuerſo jure cenſeri debet, *l. 23. pr. ff. de vſurp. & vſucap.* Menoch. *Conſ. 2. n. 262. lit. J.*

§. XXXV.

Caeterum illud conſtat, quod collectae ſint onera fructuum *l. 7. §. 2. inf. ff. de vſufr.* fructus vero non niſi de rebus, quae fructus ferunt, ſperari ac ſumi poſſunt *l. 4. pr. ff. de Cenſ. l. f. C. de imm. nem. conced.* Mynſ. *decad. 15. Reſp. 1. num. 38.* Cothm. *d. Conſ. 11. n. 165.* Hinc de omnibus quae fructum proferunt bonis collectae praeſtari debent, adeo vt ne Principis praedia & poſſeſſiones eximantur a collectis pro communi vtilitate indictis, *arg. l. f. C. de Collat. fund. fiſcal. &c.* Excluduntur itaque poſſeſſiones ſteriles, de quibus nihil expectandum, ab onere Collectarum. Natta. *Conſ. 418. n. 7.* ſunt enim absque fructu, *l. 13. ff. de imp. in res dot. fact.* Et nemo plus

Digitized by Google

oneris quam emolumenti ex re habet, ſuſtinere debet, quia onus commodum rei tangit. *l. 31. C. de Fideic.* & quem ſequuntur commoda, ſequi etiam debent incommoda; *l. 10. ff. de R. J.* remittenda igitur ſunt onera Collectarum ob rerum deteriorationem & imminutionem prædiorum. *d. l. 4. §. 1 ff. de Cenſib. l. 2. C de alluu.* Mynſing. *3. Obſ. 34.* Vocatur autem res deteriorata, quando eo ſtatu, quo florebat, priuatur, *l. 2. §. 23 ff. ad Exhib.* Ad ſteriles res quoque pertinent illæ, quæ ad ſubſidium vitae & ornatum potius quam corporis vtilitatem ſpectant, vt eſt pecunia otioſa, Catenae & annuli aurei, lapides & muliebria ornamenta, ex quibus nihil vſus & vtilitatis, ſed inanis tantum gloria percipitur; *arg. l. 6. in f. & l. ſeq. de pign. & hypoth. arg. l. 25. §. 2. cum. l. ſeq. in f. ff. de aur. & arg. leg.* Mynſing. *decad. 15. Reſponſ. 1. num. 29. & ſeqq.* Niſi fortaſſis Magiſtratus & Princeps ad luxum reprimendum ornamenta ejusmodi collectis onerare velit, in quo minime peccat: Sunt enim alia plane ornamenta quae ex virtute fœminis accedunt, nimirum Modeſtia, Pudicitia, Caſtitas, Taciturnitas, Prudentia &c. non gemmae & ſimilia pretioſa, vt Alcumena ap. Plaut. *in amphitr. act. 2. ſcen. 2. verſ. 209.* ait: Ornamentum namque eſt, quod ornat, ornat autem quod efficit mulierem honeſtiorem, qualem non parit aurum, non Smaragdus, non coccineus color, ſed ea demum, quae jam ſunt enumerata ſpecimina grauitatis, modeſtiae, moderationis & pudoris; unde Tertullianus *de cultu Fœminarum* illa ornamenta vera vocat, quae ſerico Probitatis, byſſo ſanctitatis & purpura Pudicitiae innituntur; & quidem vera ſunt iſta ornamenta; reliqua vero prioris generis nomen habent, non rem ipſam: Et cum multa afferant incommoda hodiernis temporibus atque peſſima quaeque gignant, vt affatim demonſtratum dedit Dn. Gerhard. *decad. 5. quaeſt. pol. 5.* expediret ne a Magiſtratu tolerarentur, vti monet Georg. Lauterbeccius im Regentenbuch *p. 3. c. 10.* & Bernhard. *in apolog.* ſcite judicauit dicendo: exteriorem veſtium ſuperfluitatem interioris varietatis indicium eſſe.

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Cum collectæ, vt dictum, ſequantur fundi poſſeſſionem, & ex fructibus præſtari debeant *l. 13. C. de act. emt. l. 1. C. de ann. & trib.* Crauett. *Conſ. 497. n. 5.* merito fructus percipienti de jure imponuntur, per reg. *in l. 2. C. de ann. & tribut.* hujus conſectarium eſt, onus Collectarum quoque ſequi Vſufructuarium *l. 7. § 5. ff. de Vſufr.* Treutl. *vol. 1. diſp. 6. th. 13.* etiam ſi hic rem non poſſideat; nam juris indubitata regula eſt quod qui fructus percipit, omnia hæc onera ſubeat, Garſias *de Expenſ. c. 11. n. 46.* Pinel. *ad l. 1. C. de bon. matern. p. 2. num. 72.* Extendunt hoc Dd. ad vſufructuarium ex cauſa onerosa, v. gr. ſi in dotem vel in ſolutum acceperit, ſi emerit, quamuis hunc ſaltem obligent ad Collectas ordinarias, velintque immunem eſſe ab extraordinariis, quaſi hic quod ex hac cauſa expendit, recuperet tanto minus, ſoluendo, Garſias *loc. cit. n. 49.* Certum autem eſt, Vſufructuarium rebus in vſumfructum datis tantum vti, non autem eas poſſidere ſibi, ſed proprietario, *in l. 1 §. 8. verb. non poſſidemus. ff. de A. vel A. P. l. 3. §. 5. ff. eod.* hinc, quod dictum eſt, vſumfructuarium ad Collectas teneri, intelligi debet de iis, quæ poſt conſtitutum vſumfructum præſtari debent, non de præteritis, quæ tempore quo Dominus poſſidebat debitæ, ſolutæ tamen non ſunt; & quanquam Alexand. Aretin. Jaſon. & alii, cum quibus facit Pinellus *ad l. 1. C. de bon. quæ lib. p. 2. n. 72.* velint, ad præteriti quoque temporis onera vſufructuarium (idem de Emphyteuta) teneri, per text. cum gloſſ. in *l. 7 pr. ff. de Public. & vectig.* ibi: *ipſa prædia, non perſonas conueniri; & ideo poſſeſſores etiam præteriti temporis vectigal ſoluere debere* it. *per. l 3. §. f. ff. de Cenſ.* ibi: *ob tributa præteriti temp. &c.* quam ſententiam late defendit, Matthæus de Afflictis *in Deciſ. Neapol.* illud tamen ita intelligi debet, non quaſi ad hoc conueniri poſſit actione perſonali, nam hæc nunquam datur contra ſucceſſorem ſingularem. Matth. de Afflicti, *Dec. 95. n. 6.* Sed quod bona illa, pro quibus collectæ ſoluen-

ſoluendæ, tacite ſint hypothecata, Decius *Conſ. 185.* Neguſant. *de pignor p. 2. m. 4. n. 125.* (quod tamen ad omnia debitoris bona extendi non debet, ſed intelligendum ſaltem de illis, ex quibus collectæ ſolui debebant, Aluarus Valaſcus *de j. Emphy. quaeſt. 17. n. 21.* hinc onus rei ipſam rem ſequitur atque ad quemcunqne poſſeſſorem tranſit. Pinell. *loc. ſupra cit.*) vt ita ratione præteritarum collectarum jure agatur contra vſufructuarium, tanquam rei naturalem poſſeſſorem (vel potius detentorem) non quidem directo (quia non eſt obligatus, ſed res ipſa poſſeſſa) verum per indirectum, hypothecaria ſcil. adeo, vt ſi poſſeſſor euitare velit, ne res ipſi auferatur, collectas praeteriti temporis ſoluere debeat, late Matth. de Afflictis *Deciſ. Neap. 95. per tot.* Diſſentit Chaſſanæus *ad Conſuetud. Burgund. rubr. 4. §. 6. verb. ſupporter la moitie des charges, n. 4.* ibi: *ſed tamen dic non eſſe verum in Vſufructuario, quia tenetur tantum pro tempore futuro.*

§. XXXVII.

Cæterum licet Vſufructuarius teneatur pro collectis præteritis non ſolutis (quæ ſententia receptior) atque conventus ſoluere debeat, habebit tamen recurſum aduerſus Anteceſſorem, qui eas non ſoluit ſed fructus percepit, vel ejus heredes; Garſias *de Expenſ. cap. 11. n 51.* Valaſcus *de J. Emphyt. quaeſt. 17. n. 22.* Quæ jura extenduntur ad omnes poſſeſſores rerum ex quibus tributa debentur, vt ſi præterita ſoluerint, hæc nihilominus ab eo ejusue heredibus, qui debere cœpit, recuperare poſſint. Garſias *de Expenſis c. loco n. 52.* Et ſane aſſenſum non meretur Rebuff. *in l. 2. C. de ann. & trib.* quando ſcribit: *Onus ſoluendarum collectarum diuidi ſolere inter Vſufructuarium & Proprietarium, ita, vt quilibet pro rata contribuere debeat.* Nam licet concedatur, quod hoc vi pacti ſiue conuentionis fieri poſſit, cum pacta inſtar legum in contractibus ſe habeant, & omni modo cuſtodienda ſint, *l. 1. & t. t. ff.*

t. ff. & C. de Pact. regulariter tamen Vſufructuarius onera ſuſtinet, per text. *in l. 7.* §. *2. & l. 27. ff. 3. ff. de vſufr.* qui textus cum generaliter non ſolum de ordinariis ſed etiam extraordinariis, quæ pro ratione temporis & ſtatus extra ordinem imponuntur, loquantur, ita quoque generaliter intelligi debent. Hartm. Piſt. *p. 1. qu. 46. n. 33.* Cæterum ſi collectæ ſunt exceſſiuæ, vt fructus abſorbeant a Proprietario, in quantum exſuperant, refundi debent. Bart. *in l. pen.* §. *vlt. ff. de leg. 3.* Carpzou. *1. Reſp. 105. n. 12.* B. Dn. Struu. *in Synt. J. C. Exerc. 12. theſ. 24.*

§. XXXVIII.

Quæ hactenus de Vſufructuario dicta ſunt, applicari poſſunt ad poſſeſſorem rei vectigalis ſeu Emphyteutam, cui incumbit præſtatio Collectarum, non Domino directo, per *l. 2. C. de j. Emphyteut.* ibi: *Publicarum functionum,* & hanc ſententiam plurimis argumentis confirmat Socinus *lib. 2. Conſ. 217.* adeo vt licet Dominus Emphyteuſeos & Emphyteuta pacti fuerint, vt ſc. non ipſe ſed Dominus directus collectas ſoluat, hanc pactionem tamen, cum per eam jura Fiſci conuelli nequeant, Paris. *l. 1. Conſ. 52.* non ualere, & ea non obſtante Emphyteutam poſſe conueniri, velint *p. l. pen. & vlt. C. ſine cenſ. vel reliqu. fund. comp. non poſſ. l. 42. ff. de Pact.* quod hactenus admittit Valaſcus *d. J. Emphyt. quæſt. 17. n. 24.* vt non valeant ejusmodi pacta in præjudicium Fiſci, quoad ipſos contrahentes vero valere & ſeruanda eſſe putat, cui ſententiæ & ego ſubſcribo, modo lege vel conſuetudine aliud non ſit præſcriptum: ſic J. Saxon. tale pactum adeo nullum eſt, vt v. g. Emtor propterea contra Autorem regreſſum nullum habeat, *Deciſ. Elect. non. 65.* ibique Philipp. *Obſeru. 2.* Cæterum non eximit Emphyteutam ab onere præſtationis, quod Domino canonem immodicum præſtare debeat, nam ex generali interpretum Doctrina non diſtinguitur inter magnam & modicam penſionem, Valaſc. *de Jur. Emphyt. quæſt. 17. n. 6.* nec ob collectas diuerſum obtinet, ſiue illæ

Digitized by Google

ſint modicae ſiue magnae; Idem *d. l. n. 4.* ſiue ſint antiquae ante conſtitutionem Emphyteuſeos, vel de nouo poſt eam, impoſitae. Garſias *de Expenſ. c. 11. n. 18.* Socin. *lib. 1. Conſ 119.* ſic nec attenditur, an Collectae ſint mere reales, h. e. rebus impoſitae, vel mixtae, perſonis quidem impoſitae ſed intuitu rerum, Socin. *cit. loc.* Valaſcus *cit. quæſt. 17. n. 8. vbi plures citat.*

§. XXXIX.

Quaeritur porro, an Emphyteuta conuenire poſſit pro collectis annorum, quibus ipſe non poſſedit, ſed Anteceſſor? circa quam quaeſtionem reſoluendam applicari poſſunt ea, quae de fructuario dicta, vt ita Emphyteuta quidem actione hypothecaria conueniri poſſit ad collectarum præſtationem, ſed ſaluo regreſſu contra Autorem. vid. Garſ. *de Expenſ. c. 11. num. 52.* ibi: *hoc recipiendum eſt in omni eo, qui ad præteritas penſitationes & decurſa tributa conuenitur, vt ſolutum ex hac cauſa recuperare poſſit ab eo, ſeu ejus heredibus qui debere cæpit, vnde nouus Poſſeſſor, beneficiis qui jura Epiſcopalia vel penſiones decurſas præteriti temporis ſoluit, propter quæ, vtpote poſſeſſor, conueniri poteſt.* An vero Eccleſia vel Clerici, quando a laicis bona Emphyteutica habent, ad Collectas teneantur? it. an Emphyteuta prædiorum Eccleſiæ, ab earum præſtatione immunis ſit? vid. apud Aluarum Valaſc. *de J. Emphyt. quæſt. 17. n. 7. 11. & 12.* qui has quæſtiones eleganter expendit *n. 28. vid. & ſeq. vſque ad fin.* vbi exhibet caſus, quibus Emphyteuta collectas non præſtat, ad quem me breuitatis cauſa remitto. Illud adhuc quærere libet, an Maritus conſtante matrimonio ad collectas teneatur; diſtingui debet inter bona, an dotalia an vero paraphernalia ſint: propter illa ſoluit collectas, fructus enim rerum dotalium percipit, & collectæ ſunt onera fructuum magis quam Proprietatis, text. eleg. *in l. 13.* ibi: *neque ſtipendium neque tribut. ff. de Impenſ. in res dot. fact.* Garſ. *de Expenſ. c. 13. n. 27.* quod vero bona paraphernalia vel receptitia attinet,

ex

ex his mulier collectas ſoluit, quoniam ipſamet & non Maritus fructus inde percipit. Sane cum J. Saxon. maritus habeat vſumfructum omnium bonorum Vxoris quae ſunt extra dotem, non minus ac alius Vſufructuarius Collectas praeſtare, aliaque onera ſubire debebit. Deinde & mulieri, quae poſt obitum mariti Viduae nomen aſſumit, licet habeatur pro perſona miſerabili, in hac tamen parte Jura nullum ipſi indulgent priuilegium, nequidem luctus tempore, ſed illam aeque ac alium Incolam ad collectarum ſolutionem adſtringunt. *l. f.* §. *2. ff. ad Municip.* Faber. *in Cod. l. 4. t. 29. def. 11.* qui ita Senatum cenſuiſſe refert.

§. XL.

Inſuper notari meretur, quod onus collectarum ad Conductorem trahi nequeat: nec mirum, cum in locatione & conductione etiam periculum remaneat apud locatorem, hinc ſi forte Conductor quasdam ſoluerit collectas, repetere eas optimo jure poteſt, *arg. l. 61. & 55.* §. *1. ff. locati.* Jaſ. *Conſ. 109. in f. lib. 1.* adeo vt Statutnm quod Colonum ad ſolutionem Collectarum obligat, iniquum ſit juxta Bart. Bl. & alios quos refert. Roland. a Valle, *Vol. 4. Conſ. 79. n. 11.* Excipiunt alii Colonum ad longum tempus, item eum quem vocamus partiarium. Illum dicunt habere vtile domininm & jus in re *l. 1.* §. *1. ff. ſi ager vectig. vel Emphyt. l. 1.* §. *6. ff. de ſuperf.* ibique Bart. Klock. *de Contrib. c. 10. num. 164.* vrgentque exemplum Emphyteutae. Verum male ab Emphyteuta infertur ad Conductorem etiam longi temporis; ille poſſidet (an vero ipſam rem Emphyteut. vel ſaltem jus circa rem ipſi competens poſſideat, item an priori caſu poſſeſſio rei, quam habet, ciuilis ſit vel naturalis? disquirunt Dd.) hic minime, & conductor ad longum tempus non minus Conductor eſt ac ille ad breue tempus. *l. 10.* C. *locati.* Quod vero in ſpecie ſumtus hoſpitationum (Einquartierungs-Koſten) attinet, circa hos eleganter ita diſtinguit Meu. *2. D. 91.* Aut per tranſitum miles

Digitized by Google

vnum vel alterum diem hoſpitium capit, aut metatu publicae impoſitionis indicuntur. Priori caſu Conductor fert onus: Poſteriori caſu, videndum an impoſitio facta intuitu fundorum an perſonis inhabitantibus; ſi prius pertinet onus ad locatorem, ſi poſterius, Conductoris eſt: ſi dubium quid factum, commune erit onus, imprimis tamen reſpiciendi ſunt mores regionis. Sane damnum rebus Conductoris illatum a militibus, Conductor tanquam caſum fortuitum ferre debet; addatur Idem 6. *Dec. 31*, vbi tradit quod detractio fieri debeat a mercede ob ſeruitia vom Schantzen und Wallarbeit. Interim Carpzou. *p. 2. C. 37. d. 15.* tradit, quod ſi inchoato jam bello locatio fiat, ſumtus in milites factos Conductor a locatore repetere non poſſit. Illud certe expeditum eſt, quod ſi Conductor pacto, (quod omnino fieri poteſt) hanc præſtationem in ſe ſuſceperit, ad collectas etiam extraordinarias præſtandas teneatur, modo hæ majorem partem fructuum non abſorbeant, Schuz. *vol. 2. D. 11. th. 7.* cum de tali caſu nec in ſpecie nec in genere videatur cogitatum. Mantica *de tacit. & ambig. conuent. Lib. 5. t. 7. num. 29. & 31.*

§. XLI.

Progredior ad Colonum partiarium, quem a præſtatione collectarum immunem eſſe, cum aliis ſtatuit B. Dn. Struu. *Exerc. 50. th. 91.* negat Mundius, cujus ſententiam æquiorem dicit Schuz. *loc. ſupr. cit. circa fin.* faciunt huc ea, quæ habet Garſias *de Expenſ. c. 11. n. 47.* ibi; *hoc adeo verum eſt, vt pro rata teneantur ad tributa & ad onera realia, aliaque omnia quæ ratione rei præſtantur; quicunque enim fructuum aliquam partem percipit, pro ea parte oneris, tributi ſubibit grauamen* Matth. de Afflictis *Deciſ. 252. num. 2.* quod deſcendit ex ea ratione, quia nim. hæc onera fructus ſequuntur. Quod attinet, legatarium, hic Collectas, ſi defuncto Teſtatore ſunt indictæ, ſoluere obſtrictus eſt, quia onera realia vel mixta cum re legata tranſeunt, & res cum ſuo onere regulariter cenſe-

Digitized by Google

cenſetur relicta, vt plene probarunt Cephall. *Lib. 2. Conſil. 192. num. 12.* Rolandus, *vol. 1. Conſ. 32. num. 4.* Menoch. *lib. 1. Conſ. 63. n. 11. & 12.* Hoc vero tum demum procedit, ſi res legatario tradita, iniquiſſimum enim foret, ſi legatarius teneretur re nondum ſibi tradita; nec facit, quod dominium in legatarium tranſeat ſtatim a morte Teſtatoris, nam collectæ non indicuntur niſi ei, qui poſſidet, & qui fructus ſuos facit pleno iure; iuuat noſtram ſententiam *l. 28. ff. de vſu & vſufruct. legat.* quæ loquitur de legato, vbi legatarius fructus percipit, atque ita re tradita, it. *l. 13. C. de action. emti.* Cæterum pro præteritis legatarius non tenetur, & licet nonnunquam conueniatur ad præteriti temporis collectas exſoluendas *l. 7. ibique Dd. ff. de public. &c.* has tamen ab herede defuncti repetere poteſt, *l. 5. ff. de Cenſib.* quia præteriti temporis onera heres ſoluere tenetur *l. 39. §. 5 ff. de leg. 1.* Surd. *Conſ. 146. n. 13. & 23.* pro præterito enim tempore fructus ad heredem pertinuerunt, hinc ad eundem onus ſpectare debet, & collectæ ſunt onus fructuum; hæc adeo vera ſunt, vt ſufficiat, onus indictum eſſe in vita Teſtatoris, licet tempus ſolutionis venerit poſt illius mortem, & poſtquam res legatario fuit tradita, nam inſpicitur tempus, quo collectæ impoſitæ, non autem tempus, quo erant ſoluendæ, vid. Ægidius Thomatus *de Collectis p. m. 439. & 537.* vt ita heres in effectu teneatur ad onera præterita; Fiſcus enim exigit a legatario, hic ab herede, Garſias *de Expenſ. & meliorat. c. 11. n. 52.*

§. XLII.

Antequam ad Perſonas exemtas a Collectis accedo, lubet pauca de Vaſallo, item de Creditore annuos cenſus habente monere. Quod illum attinet, domino is tenetur ad ſeruitia Roſenth. *cap. 5. Concluſ. 78. n. 4.* niſi feudum fuerit francum (nam præſtatio ſeruitiorum, cum nec ad eſſentialia conſtitutiua vel conſecutiua pertineat, ad quæ refertur dominium vtile in re immobili alicui conceſſum ſub obligatione ad

fidem & reciproca præſtatione fidelitatis a parte domini, pactis remitti poteſt) licet hoc caſu talia ſeruitia quæ fidei Vaſalliticæ innexa ſunt v. gr. ſuccurrere Domino in periculo vitæ conſtituto, &c. cum ſint Feudi eſſentialia, a feudo ſalua eius ſubſtantia abeſſe nequeant, & quidem ſi Dominus Feudi ſit quoque Dominus territorii, durum foret a Vaſallo adhuc exigere collectas, per ea quæ habent Montan. *de Feud. lib. 6. r. 5.* & Heig. *lib. 2. qu. 18. n. 18.* Excipi tamen debet caſus ſummæ neceſſitatis R. A. *de anno. 1444.* §. und nemlich ſollen ꝛc. §. damit nun ſolches ꝛc. Sic & mores locorum attendi debent; Alibi, enim vt in Saxonia, Vaſalli præſtant das præſent Geld, Ritterſteuer, ita res eadem, nomen variat. Alibi ex bonis feudalibus collectæ ſolui debent, maxime ex talibus, quæ onere Collectarum ante dationem in feudum grauantur. De Domino cenſus monendum, quod reditibus quoque annuis collectae imponi poſſint a Domino loci, vbi debitor habitat, R. A. *de an. 1500. 1544.* §. Und damit von ſolchen ꝛc. Daß der zehende Pfennig von allen Einkommen ſoll gegeben, und von Schuldener, der die Penſion ſchuldig zu zahlen, abgezogen und an den Orth, da er der Schuldener geſeſſen, in die Anlage geleget werden: Patet inde, quod Dominus cenſus, non debitor onus collectae ferat, adeo vt nec pacto aliud diſponi poſſit, quippe quod lege imperii improbatum extat *in cit.* § und damit *&c.* ibi: Unangeſehen die Verſchreibung und Pflichten dieſer wegen gegeben.

§. XLIII.

Hactenus de non priuilegiatis ob onere Collectarum actum, progredior ad illos, qui a praeſtatione collectarum immunes; aequitati autem conueniens eſt, ne is qui nec honores nec commoda in loco quodam percipit, onere ſoluendarum collectarum grauetur, Natta *Conſ. 160. n. 7. & 8.* R. A. *de*

anno

Digitized by Google

anno 1500. §. **Es ſoll ein jeder an dem Orth, da er geſeſſen, angeleget werden**; immunis igitur exiſtit Forenſis ſeu Aduena, qui non eſt de corpore Ciuium ſeu incolarum, ſed foris habitat, *Nou. 80.* maxime quoad collectas, quæ imponuntur præcipue ſubditorum perſonis, quod fit aut capitatione, aut ſingulorum facultates penſitando, ita vt per Collectarum exactionem principaliter intendatur commodum Perſonarum ibi habitantium v. gr. ad cumulandum ærarium particulare illius loci. Wincelærus *de Collect. Conſ. 1. n. 59.* atque hanc ſententiam, forenſes ab onere Collectarum immunes eſſe, tenent Berous *Conſ. 150. n. 12.* Surdus *Conſ. 125. num. 13.* Roſenthal. *de F. c. 5. concl. 81.* neque ſine ratione; lex enim non ligat non ſubditos *c. 2. de Conſtit. in 6to, l. 1. C. de Summa Trinit.* Gothfred. *Conſ. 248.* Juris deinde expediti eſt, quod actus jurisdictionis habeat ſuos limites, quos transgredi non decet, & ita in Forenſem ſeu non ſubditum exerceri vix ac ne vix quidem poteſt, in quem enim nulla competit Jurisdictio, eminentior ſc. (quæ collectarum imponendarum radix eſt ac fundamentum, Decian. *Reſp. 41. n. 41. vol. 2.* in eum nulla cadit Collectarum impoſitio, *t. t. C. ſi a non compet. jud. &c.* Crauett. *Conſ. 105. n. 1.* quæ ipſa tamen cum moderamine intelligenda, juxta ea, quæ dicta ſunt *th. 27. in f.*

§. XLIV.

Et ſane Forenſes aliquando onus Collectarum effugere non poſſe, inprimis ſi conſuetudo & ſtatuta eorum ſubſidia exigant: expeditum eſt, vid. Crauett. *Conſ. III. n. 10.* Decius *in Conſ. 358. columm. 2. circa med.* Natta. *Conſ. 215. num. 2. in fin.* Mynſing. *5. Obſ. 22. n. 10.* vid. quoque Gail. *2. Obſ. 52. num. 22. & Obſ. 53. n. 24.* & quidem merito excipiuntur iſti caſus (1) ſi extet talis conſuetudo, qua Forenſes collectantur (2) ſi priuilegio conceſſum, (3) ſi præſcriptione jus collectandi acquiſitum, (4) ſi ſtatutum res ipſas afficiat, (5) ſi occurrat neceſſaria & publi-

publica vtilitas, veluti ſi ſubſit metus belli: hinc Wincelerus *de Collectis Conſ. 1. n. 59.* ex Baldo ait; *in imponenda collecta eſt cauſa, ob quam illa indici debeat, vtrum omnes in prouincia tangat pariter, vt ſi imponatur cauſa tuendi prouinciam & habendi proprios ſtipendiarios, quæ cauſa omnes tangit, & principaliter publicæ vtilitatis cauſa ſit, tum omnibus indici debet & ei, qui vnam domum tantum vel poſſeſſionem aliquam in prouincia illa habet, idque pro modo patrimonii quod habet, ſiue in immobilibus ſiue in animalium capitibus ſiue in pecunia numerata.* (6) ſi prædia ſint deſcripta & æſtimata in libro cenſuali ſ. æſtimo, vulgo Saal-Buch, vid. Naurat. *in hypotypoſ. juris Subditorum p. m. 648.* Monendum tamen quod, ſi conſuetudine jus collectandi receptum ſit, quoniam hæc ſtricti eſt juris, ſtrictiſſime etiam ſit accipienda. Bart. *in l. 15. ff. de public. l. 24. ad Municip. l. 17. pr. C. de fid inſtr. l. 64. §. 9. ff. ſolut. matrim.* Si vero juribus ſtatutariis jus illud introductum, tum verba Statutorum inueſtiganda ſunt atque ponderanda, vtrum in Perſonas, an in res ipſas ſint concepta: ſin prius ſit ita vt tangant Perſonas, Forenſes dubio procul excipiuntur, ſin vero poſterius, vt in bona ipſa ſint concepta, tum Forenſes itidem contribuere debent, quoniam qui fruitur poſſeſſionibus, conueniens eſt vt ſoluat onera *l. un. C. de mulier. in quo loc. mun.* textus expreſſus in *l. 4. §. 2. ff. de Cenſ.* vbi dicitur: *is vero qui agrum in alia ciuitate habet, in ea ciuitate profiteri debet, in qua ager eſt: agri enim tributum in eam ciuitatem debet leuare, in cujus territorio poſſidetur.*

§. XLV.

Nec abhorret ratio juris, vt quis annonas & tributum ſoluat, vbi poſſeſſiones habet & fructus percipit, *l. 23. 10. C. de ann. & trib.* Gail. 2. *Obſ. 3. n. 4.* & quidem tum quando magiſtratus loci vbi bona ſunt, collectat, præfertur magiſtratui loci originis vel domicilii, non enim, vti ſcribit Wincelærus *de Collect. Conſ. 1. n. 55.* vt in Actoris, qui reali actione aliquem

vult

vult conuenire, in electione eſt, vtro in loco vel rei ſitæ, vel domicilii reum conueniat, ſi pariter in Magiſtratus collectas indicentis poteſtate eſt poſitum, perſonam ſibi ſubditam de bonis in præjudicium tertii, ad quem tuitio publica bonorum illorum ſpectat, collectare illis ſc. bonis, quæ extra jurisdictionem ſuam ſita ſunt, nam hæc collectandi poteſtas, cum jurisdictionis ſit, non magisquam jus dicendi poteſtas, extra territorium jus dicentis extendere poteſt. Cæterum illud conſtat, quod quis forum non ſolum ſortiatur ratione domicilii *l. 50. §. 2. ff. de jud. & vbi &c.* ratione contractus vel quaſi *19. in pr. ff. eod.* ratione delicti &c. *l. 22. §. 15. ff. de pæn.* ſed etiam ratione rei ſitæ, *c. f. X. de foro comp. l. 38. in f. & l. f. C. vbi in rem &c. l. vn. C. vbi de hereditate agitur &c.* Lauterb. *in t. de jud. p. m. 165.* Vnde etiam ſi Ciuitas legem, juxta ſupradicta, aduenis imponere non poſſit, Gloſſ. *in l. 1. C. de Summa Trinit. l. fin. ff. de jurisdict.* Rolandus a Valle *voll. 1. Conſ. 88. n. 22.* poteſt tamen rebus legem, quam vult, dicere *l. 21. C. mand.* licet Perſona cujus res eſt, alterius ſit jurisdictionis *l. 10. C. de S. S. Eccleſ. c. 14. X. de foro comp.* Denique forenſes nonnunquam ita ſe accommodant contributioni, vt videatur quaſi contrahi obligatio perſonalis, text. *in l. 4. C. de agric. &c.* Natta *Conſ. 286. n. 6.* Gail. 2. *Obſ. 52. n. 24.* Weſenb. *Conſ. 27. n. 12. in f.* inde etiam eſt, quod ſi quis contraxerit particularem aut vniuerſalem obligationem ſuſtinendi perſonalia munera etiamſi forenſis ſit, ſuſcipere illa debeat, licet alias ad talia non teneatur, nec ex ſtatuto nec ex conſuetudine. Thomat. *de Collect. p. m. 552.* Et hæc ſententia eſt æquiſſima, nam ſane iniquum alias foret, vt ob vnam eandemque rem quis grauetur diuerſis collectis, in ſua Ciuitate & alibi vbi bona poſſidet, quod eſſet contra bonam fidem, quæ non patitur, vt bis idem exigatur. *l. 57. ff. de R. J.* Thomat. *de Collect. p. m. 472. & ſeq.* vbi pleniſſime hanc quæſtionem tractat. *add. l. 1. & ibi gloſſ. Bart. & Dd. C. de mulierib. in quo loc.*

Digitized by Google

§. XLIV.

Forenſes nunc excipiunt Clerici, eadem immunitate gaudentes, cum non ſint ſubjecti Laici & Laicorum jurisdictioni, *l. 14. C. de S. S. Eccleſ.* At ſaluo tamen rectius ſentientium judicio, ſalua veritate) reſpiciendum eſſe iure conueniens arbitror; an a clericis ratione bonorum propriorum patrimonialium (quia collectæ pro cujusque patrimonii facultate imponuntur) v. g. quæ ex contractibus vel quæ per ſucceſſionem aut ex hereditatibus Parentum aut propinquorum ad eos peruenerunt, collectæ exigantur, tum ſane nullum ab onere Collectarum exemtionem habent, Bart. *Conſ. 180.* Bald. *inſ. de Pace Conſtantiæ §. imper. clementiæ. verb. munitiones Ciuitatis verſ. quid de Collect.* Res enim tranſit cum ſuo onere *l. 18. §. 2. ff. de pign. act. l. 12. §. 2 ff. famil. eriſc. l. 23. §. 21. ff. de ſeruit. præd. ruſt. l. 12. ff. comm. præd. ruſt. & vrb.* l. *12. C. qui pot. in pign. l. vn. C. de rei vx. act.* & pro monſtro eſt, vt ſuccedens in locum ſit conditionis melioris, quam Author, a quo jus in eum tranſiuit *l. 160. §. ſ. l. 175. §. 1. l. 177. pr. ff. de R. J.* hinc nemo plus juris in alterum transferre poteſt, quam ipſe habet *l. 54. l. 120. ff. de R. J c. 79. X. h. t. c. 46. de R. J. in 6to. l. 119. de V. S. l. pen. C. de precib.* ſic e contrario Eccleſiæ bona immunitatem ſuam retinent, etiamſi ab aliis ſint poſſeſſa, Reuſner. *Lib. 2. Conſ. 2. n. 23. 24.* Canoniſtæ quidem communiter diſſentiunt, tradentes, quod bona etiam clericorum propria & patrimonialia tam mobilia quam immobilia ſint exemta ab omnibus triburis tam realibus quam mixtis, non minus extraordinariis, quam ordinariis, idque probant (1) ex Jure Can. per *Cap. 1. 4. & 7. X. de immunit. Eccleſ.* vbi jura & Canones generaliter & indiſtincte loquuntur, ſic *cap. 1.* de omnibus rebus ſ. bonis Eccleſiaſticorum ſ. acquiſitis ſ. acquirendis generaliter loquitur, non diſtinguendo, an bona Clericorum ſint Eccleſiaſtica, an vero patrimonialia, nec inter collectas. (2) probant aſſenſum ex J. Ciuili per *Auth. item nulla. C. de Epiſc. & Cleric.* (3) per rationes; quia tributa imponuntur vi

vi juriſdictionis & ſubjectionis, atque ita non niſi ſubditis. At vero Eccleſiaſticæ perſonæ non ſunt ſubjectæ juriſdictioni ſecularium, nec quoad perſonas (quod inter pontificios notorium) nec quoad bona in illorum territorio ſita, quia bona ſunt acceſſoria perſonis, acceſſorium vero ſequitur naturam ſui Principalis, *reg. jur. 42. in 6to arg. l. 10. ff. de Jure Codicill. l. 44. ff. de vulg. & pupill. ſubſtit.* Lauterb. *compend. J. p. m.* 503. Denique recentiores vrgent Bullam Vrbani VIII. editam anno 1641. die 23. Sept. cujus ſummam breuibus, vt & rationes ſupra adductas latius oſtendit Pichingius *in Comment. Jur. Can. ad t. de immunit. Eccleſ. n. 62. & multis ſeq.* Alii faciunt duo genera bonorum ab Eccleſiaſticis acquiſitorum; quædam dicunt Eccleſiaſtica intuitu Eccleſiæ ex ejus reditibus vel prouentibus quæſita, quædam vero ſecularia quæ per ſucceſſiones vel propriam induſtriam & labores Clericis acceſſerunt, prioris generis bonis concedunt immunitatem, non vero bonis quæ ſunt poſteriotis conditionis. vid. Gonzalez. Tellez. *in comment. jur. Canon. ad cap. 4. n. 10. X. de Immunit. Eccleſ.* licet ipſe cum illis non faciat.

§. XLVII.

Verum quæcunque ſatis ſpecioſe alias a Canoniſtis pro immunitate iſtorum bonorum afferuntur, tanti tamen momenti mihi non videntur eſſe, vt rationes promta ſententia allatas euertant. Sic ipſi Pontificii fatentur talia bona non eſſe Eccleſiaſtica, hinc admittunt iſta præſcribi tempore ordinario, decimas ex illis eſſe ſoluendas, Clericum ratione illorum compromittere poſſe. Vid. Gonzalez. *ad cap. 2. X. de Decim.* Imo ratione iſtorum Clericos judicium ſeculare ſubire debet, hinc num immerito quoad bona priuata Clericorum hanc immunitatem negauit Imperator Conſtantinus *in l. 3. & 5. C. Theodoſ. de Epiſcop. & Cleric.* vid. Arniſæus *de immunitat. bon. Eccleſ. cap. 4. n. 6.* & ſane ſi, fatentibus ipſis Pontificiis, onera & tributa realia, quæ bonis antequam in Clericorum poteſtatem

Digitized by Google

venerunt, ex vi pacti ſ. contractus inhærent, ad Clericos aliasque perſonas Eccleſiaſticas tranſeunt, cur non tranſirent onera pro Collectis rebus inhærentia, niſi jus Principi circa bona ratione Collectarum competens, debilius eſſe dixeris, quam quod priuatis ex ſua conuentione quæſitum, quod ſane abſonum. Hinc quoad bona huius generis maxime talia, quæ a Clericis, per Contractus acquiſita ſunt, dubitandum non eſt, quin ejusmodi clerici, qui mundana magis & terreſtria, quam diuina & cœleſtia tractant, prædia & bona ſibi ſuisque comparant, officiis nequaquam ſatisfacientes & vocationis labores non tantummodo negligentes; verum etiam rei illicitæ operam dantes, ſimili ratione vt Subditi ſoluere collectas adſtringantur, Gail. *1. Obſ.* 37. *n.* 4. Zang. *de Except. p.2.c.1.n.93.* Mynſing. *1. Obſ. 22.* idque ex conſuetudine obſeruari teſtatur Mynſing. *d. l. n. 1.* Gail. *1. Obſ. 30. n. 20. Obſ. 31. n. 3. de pign. Obſ. 15. n. 5.* nec quicquam hic facit jus Perſonæ, quod non mutat conditionem rei, cum accidentia non migrent de ſubjecto in ſubjectum. Fab. *in C. lib. 1. t. 2. def. 16. n. 2.* & hanc ſententiam communem eſſe teſtantur Dd. vid. Burſat. *Vol. 2. Conſ. 42. n. 7.* licet Cæuallus *in ſpec. commun. opin. quæſt. 899. n. 8.* contrariam ſententiam multis rationibus defendere conetur; hæc enim bona ſunt tributaria, de quibus Magiſtratui danda & ſoluenda ea quæ debentur *Rom. 13. v. 7.*

§. XLVIII.

Cæterum quod attinet bona, quæ ad fundationem aut dotationem Eccleſiæ pertinent, hæc ſunt exemta ab omnibus oneribus laicalibus & collectis *arg. c. 1. de Cenſ. ibique Gloſſ.* Inocentius *ibidem v. ſeruitio* Hoſtienſis *v. eodem.* Imo priuilegium exemtionis extendunt ad alia bona, quæ ad Eccleſiam ex aliis titulis vel cauſis prouenerunt; late Pirhin, *ad tit. de Immunit. Eccleſ. n. 57.* An vero & inter Proteſtantes poſterius receptum, valde dubito. Illud notandum, quod de Jure Canon. *quæras, quod vis procedet apud Proteſtantes.*

Clerici

Digitized by Google

Clerici teneantur ad collectas, quæ imponuntur ab cauſam quæ principaliter reſpicit commodum tam laicorum, quam clericorum, veluti ſi flumen vicinos agros & Clericorum & Laicorum inundet, & pro aggeribus reparandis aliquid expendi debeat. vid. Gonzalez. Tellez. *ad cit. cap. 4 n. 13.* vbi illud pluribus exemplis illuſtrat; Sic & eodem jure caſus ſummæ neceſſitatis eximitur; quænam vero conditiones tum requrantur, & quomodo in exactione collectarum procedendum, vid. apud Pirhing. *cit. l. num. 74. & ſeq.* addatur Gonzalez. *ad cit. cap. 4. n. 14.* conferatur idem *d. l. n. 8.* vbi diſquirit, quo jure, diuino an poſitiuo, hæc immunitas fuerit introducta.

§. XLIX.

Non abs re futurum autumo, ſi Perſonarum graduatarum mentionem fecero, quouſque nempe illarum priuilegium in cauſa immunitatis a Collectis ſe extendat. Primo autem notandum, quod hæ ſiue gradu Doctoris, ſiue alia æque excellenti præfulgeant dignitate, excuſationem a Collectis, quæ Perſonis pro rebus indicuntur, non minus ac ab oneribus perſonalibus habeant. *l. 6. C. de Profeſſ. & Med.* & ſane quod perſonalia attinet, ab iis ſunt immunes, ſic enim pro tuenda ciuitate non tenentur excubias agere, nec diurno tempore ad portas, vel nocturno tempore vigilare, nec loricis vel armis, quæ aliis Ciuibus imponuntur, inſtructi eſſe, vti loquitur Klock. *c. 15 n. 5. de Contrib.* & quanquam hoc alii ſaltem reſtringant ad Doctores Romae legentes, ab hac tamen ſententia alii non immerito recedunt, extenduntque ad Dd. in qualibet Academia legentes, imo in tantum ampliant, vt priuilegium exemtionis etiam ad Dd. qui extra Academiam patrocinando, conſulendo, judicandoue legalem ſcientiam exercent, hoc referant. Klock. *cit. loc. n. 12.* Caeterum non adeo expeditum eſt, an ab omnibus realibus exemtionem habeant? Affirmatiuam defendit Klock cui quoad jus Ciu. ſubſcribere non vereor, textus expreſſus eſt *in l. 6. C. de*

Prof. & Med. ibi: *ab omni functione, & omnibus muneribus vel ciuilibus vel publicis immunes eſſe præcipimus.* Verum ſi praxin imperii reſpiciamus, & Receſſus volunt & obſeruantia teſtatur, Doctores eiusmodi collectis ſubjectos eſſe. Eadem immunitate gaudent aſſumti in Conſilium principis v. gr. Conſiliarii, Officiales *l. 4. §. 1. ff. de public. & c. t.* ſt. *C. de dignitat. l. 5. & ſ. C. de ſilentiar.* Profeſſores omnium facultatum, de quorum immunitate multa Meu. 7. *Deciſ. 143: vbi n. 2.* ſcribit: *totus orbis Chriſtianus Eccleſiis & ſcholis eam immunitatem ſeruat, vt qui iis ſeruiunt oneribus ciuilibus non ſiant obnoxii, vnde non immerito quis dixerit, inſtar eſſe juris gentium.* Ipſe *cit. loc.* hanc immunitatem extendit etiam ad onera realia ratione: bonorum quæ ſunt ſub vrbana jurisdictione ſita, Nec minus ſunt immunes Aduocati, qui alias in jure Sacerdotes juſtitiæ vocantur *l. 1. ff. de J. J.* Marcus Mantua *Lib. 2. Obſe. 17.* qui fata dirimunt ambigua cauſarum, & glorioſæ vocis munimine confiſi laborantium ſpem, vitam & poſteros defendunt. vid. *l. 14. C. de Adu. diuerſ. jud.* Verum licet perſonæ hactenus enarratæ immunes ſint, attamen caſus ſummæ neceſſitatis excipi debet. Carpzou. *deciſ. 263.* modo non vltra quam neceſſitas exigit, hoc caſu grauentur; hinc non ſufficit a parte exigentium collectas, allegaſſe neceſſitatem, ſed requiritur ejus euidentia, & oſtendi debet. Meu. 7. *deciſ. 144.* tantoque magis ipſis cauſa eſt probanda, cum hæc etiam omnibus in impoſitione collectarum oſtendi debeat. Klock. *de Contrib. c. 7. n. 16. & ſeq.* Illud adhuc notatu dignum, quod licet ad onera patrimonialia perſonae, de quibus hac theſi dictum, teneantur, tamen a moleſtia hoſpitationis (Einquartirung) ex lege ſingulari ſint immunes; nam onus hoc perſonalem infert vexationem, quæ recipientis verecundiam lædere videtur. Cæterum ſumma neceſſitas ſemper cenſetur excepta, cujus quidem cognitionem quod Clericos attinet, iſti ſibi aſſerunt, interim hæc a laicis Pontificiis hactenus vſurpata, Fab. *in Cod.*

Lib.

Digitized by Google

Lib. 9. tit. 30. def. 26. Quid autem de illis, qui per ſub & ob-reptionem, precibus aliisque modis illicitis gradum obtinuerunt, vel ex reſcripto vel diplomate Imperatoris & Com. Palat. aſſecuti ſunt, ſentiendum ſit, & an hi etiam eximantur ab onere collectarum? hoc & plura alia vid. apud Menoch. *Lib. 2. de arbitr. jud. quaeſt. caſ. 379. n. 12.*

§. L.

Placet & hoc inſerere, ſaepe numero in Curiis diſceptari ſolitum; vtrum Conſules, Duum Viri ſiue Burgi Magiſtri onera ſubire Collectarum debeant? immunes illos eſſe vult Guid. Papae *quaeſt. 378.* quam ſententiam approbat Gloſſa *in l. 9. ff. de muneribus.* Bart. expreſſe contrarium tenet, aſſerens, quod gloſſa non dixerit verum, quia collecta eſt munus patrimoniale, quod imponitur perſonae pro rebus ciuilibus etiam incolis, hanc ſententiam communiter approbant Dd. quos & ſequitur Thomatus *de Collectis p. 416.* hac vſus argumentatione: ſi domus imperiales, ſummus Pontifex & Clerici tenentur, Conſules quoque ſine dubio obligati erunt. In nonnullis vero Ciuitatibus haec diſtinctio eſt recepta: Aut Conſules ad clauum Reip. ſedent, perſonam publicam repraeſentantes, aut non ſedent, ſed deliteſcunt intra parietes domeſticos & habentur pro priuatis &c. Sin prius, immunes eſſe exiſtimantur, nec amplius praegrauandos, ob magnos ſc. labores, quos toto die pro Rep. ſuſtinent, juxta Reg. qui grauabitur in vno, reuelabitur in alio; ſin poſterius, non minus ac reliqui Ciues contribuere tenentur; ceſſante enim ratione legis, ceſſat & ipſa legis diſpoſitio *arg. l. 32. ff. de PR. l. 77. §. 20. ff. de legat. 2. l. 27. ff. de A. vel A. H. P. §. 12. J. de R. D.* & ceſſante cauſa fin. priuilegii, h. e. ſeſſione ad clauum Reip. & expeditione arduarum rerum, ceſſat quoque effectus, priuilegium nimir. ſeu immunitas non contribuendi, *arg. pr. verb. illis a temporibus &c. J. de milit. teſtam. l. 7. pr. ff. de cap. minut. l. vlt. C. de V. S. l. f. ff. de teſtam. tutel.* remoto enim antecedente

dente ſeu Principali, acceſſorium ſeu conſequens remoueatur neceſſe eſt. *l. 129.* §. *1. ff. de R. J. arg. l. 19. ff. de dol. mal. l. 20.* §. *2. de aq. vel omitt. hered. l. 2 ff. de pecul.*

§. LI.

Nunc videndum, quid ſentiendum ſit de Pauperibus & egenis? Dico quod pauperes veri, quibus res eſt anguſta domi, & qui pannis annisque obſiti ex labore manuum victum quæritant, quosque euidens & notoria paupertas premit, ſint excuſandi a collectis; *arg. l. 8.* §. *8. ff. mandat Bl. in l. ſ. C. de ex-ecut. rei jud. arg. l. C. 6. de fruct. & lit. expenſ. Nov. 17. c. 3.* Et ſi vllum hominum genus lege immunitatis gaudeat, hoc priuilegium ordini Pauperum dandum eſt, text. *in l. 4.* §. *2. ff. de mun. l. ſ. C. qui num. lib.* Gail. *de arreſt. c. 9. n. 10.* vbi hoc extendi ad eos dicit, qui ob veritatis Chriſtianæ conſtantem confeſſionem facultatibus ſuis priuati, (quod multoties in hoc bellorum tumultu euenit) arua laresque deſerere coguntur, & ſic periclitantur: de his ſane collectas ſumere non decet, quia ipſi carent bonis & opus habent auxilio; dare enim nemo poteſt quod non habet; *c. 41. pr. diſt. 4. de Conſecrat. l. 116. ff. de V. O.* Crauett. *Conſ. 119. n 5. & ſeqq.* Secundum vulgatum; **Wo nichts iſt, da hat der Kayſer ſein Recht verlohren**, vel vt Metaphyſ. loqui amant: *Non entis nulla ſunt prædicata l. pen. fere ſub f. ff. de. R. B. l. 7.* §. *de A. R. D. l. 4.* §. *1. ff. de act. emt. l. 4.* §. *6. ff. de re jud.* Cæterum an in dictis collectis, ſi aliqui ob paupertatem non ſunt ſoluendo, reliqui gravari poſſint præſtatione totius ſummæ, cum illi non habeant, vnde ſoluant, quæritur. Bart. ſibi hac in re non conſtat *in l. 4.* §. *2. ff. de re jud.* ſimpliciter aff. in *l. 2. C. de apoch. publ.* rem ſub variis diſtinctionibus expendit; vid. Ægid. Thomat. *p. 493.* fere coincidunt cum illis quæ habet Meu. *p. 7. Dec. 32. n. 12.* Scil. diſtinguendum, an Vniuerſitati ita imponatur collecta, vt omnes conjunctim ſint debitores, tum licet vnus vel alter deceſſerit (vel quod hoc caſu idem eſt, ad paupertatem perueniat) reliqui

Digitized by Google

reliqui de Vniuerſitate debitores manent, an vero contribuendi ratio per legem vel morem ita diuiſa, vt ſinguli fere ſint debitores, tum non poteſt imponi aliis, quod aliorum fuit onus, foret enim iniquum, debitorem illum facere, qui non eſt debitor,ita fere Meu. *cit. loc.* Econtrario pigris & validis mendicis paupertatem ſibi propria culpa adſciſcentibus, illorumque neceſſitatibus ſubuenire iniquum eſt, per *l. 21 pr. verſ. ceſſat edictum &c. ff. quod met. cauſ.* juris ſane interpretes docent, indignum eſſe, vt ſuccurratur culpa & facto ſeipſum in egeſtatem præcipitanti. *Gloſſ. in c. 7. X. de Conſt. c. 9. verb. ad ſuſtent. X. de renunc.* Hinc membrum Ciuitatis eſſe ille deſinit, qui ſciens ac volens ad inopiam eſt redactus, & pauperis tantum nomine venit. Et ſicut fucus apum; pituita vero hominis eſt morbus, ita mendicus peſtis eſt Reip. & variorum ſcelerum artifex, cui mederi & occurrere Magiſtratui curae cordique eſſe debet, vid. Conſtit. Impp. Gratian. Valentin. & Theod. *in vn. C. de Mendicand. valid.* cui & aſſimilatur Sanctio Carol. V. renouantis priores leges, earumque pœnas in Comitiis Auguſtan. *anno 1548. tit.* von Bettlern und Müſſiggängern, *in verſ.* Und ſo darüber ſolche ſtarcke Bettler befunden, ſollen dieſelben vermögen der Rechte, oder ſonſt gebührlich geſtraft werden, andern zum Exempel. Sic falſarii mendicantes, qui in literis mentiuntur caſus fortuitos incendii, morbi &c. Brandbettler, ſo auf falſche Bettel-Briefe das Allmoſen ſamlen, pœna fuſtigationis ac perpetuæ relegationis plectuntur. Carpz. *in Criminal. qu. 93. n. 72. & n. 75.* vbi hanc pœnam extendit ad tales, qui ſine literis mendicantes, morbos, vulnera & defectus naturæ ſimulant, iisque modis pecuniam colligunt, cum tamen membra habeant ſana. Vid. Heig. *P. 2. quæſt. 27. n. 26.*

§. LII.

Hic non immerito quæritur? an vere Pauperibus, quos dura ferit indigentia quique fame cruciantur, reliqui de Vniuerſi-

tate ſuccurrere debeant? quod certe dictamen rectæ rationis & LL. poſtulant, vt deficiendum vices ſuppleantur per alios de vniuerſitate, & ſic egeni inopia ſubleuanda *l. 4. de ann. & trib.* Sed quis eſt, qui hoc perpendat? ditiſſimus ſæpius eſt tenaciſſimus, ſecundum illud: **je reicher je kårger.** Alii enim rebus ſuis nimis intenti, & diuitiis veluti Caucaſu affixi conſident, nummosque recondunt in arculis, Ipſimet omnium pauperrimi metuentes illos veluti ſacrum contingere; alii vero, quibus auro pluat domi quotidie, vel nouus Pactolus in hortis fluat vberio, omnia profundunt, parum conſiderantes, qua opera quo veſtudio & labore ſummo ſint parta atque comparata; quorum hi Prodigi, illi vero Euclionesappellantur. Quilibet igitur de ſalute ſua & proximi ſollicitus ſit, ſecundum effatum Chryſoſtomi eleganter dicentis; *quod non commodo noſtra tantum ſpectare ac promouere juſſi ſimus, ſed & proximorum* Deinde ita quoque diſpenſare facultates debemus, ne nos illo, quod nobis opus eſt, priuemus, vnde meminiſſe juuat illud Senecæ inquientis, *dabo non vt ipſe peream;* & ſi bona non ſint ſufficientia, vt alteri quid communicare poſſimus, tunc ſecundum Regul. amor. incipit a ſeipſo. *l. 13. §. 1. in f. ff. comm. prædiorum ruſt. & vrb. l. 6. C. de Seruit. & aqu. c. 9. X. de Decim. c. 21. X. de V. Signif.* Cæterum notandum, quod Paupertas notoria & immanens, perpetuam, momentanea vero & fortuita ad tempus excuſationem præbeat, ceſſante igitur Paupertate, ceſſas quoque priuilegium, quod ob egeſtatem datum eſt, & ita ad pinguiorem fortunam rurſus deuenientes conferre iterum obligantur, per *l. 4. §. 1. ff. de mun. & hon.* Natta *Conſ. 358. num. 8.*

§. LIII.

Cæterum & per præſcriptionem immunitas quandoque acquiritur, quia omnia onera regulariter ſunt præſcriptibilia, niſi euidens ſubſit ratio, interrumpens præſcribendi normam; & quod juris eſt in præſcriptione Collectandi, id quoque in præ-

Digitized by Google

præſcriptione immunitatis a Collectis ſuo modo locum habet, Modeſt. Piſtor. *Conſ. 4 n. 27.* eleganter Crauetta *Conſ. III. n. 12.* Natta *Conſ. 649. n. 3.* Conferatur Wincelærus *de Collect Obſ. 18.* vbi ait, ſi ipſa Superioritas ejusque exemtio præſcribitur, Dd. *in cap. non liceat. X. de Reſcript.* conſequens eſt, & cenſum in ſignum ſuperioritatis dari ſolitum præſcribi, ne fortius ſit ſignum quam ſignatum; Atque immunitatem præſcribi poſſe conuenit Receſſ. Imperii, R. A. *de anno 1548.* §. wo aber innerhalb, §. und ſoll unſre, §. wan auch ibi: dawieder wie in ſolchen Fällen recht iſt, præſcribiret &c. quod nec alienum a jure Ciuili; Hinc Bart. *in l. 9. ff. n. 41. de J. & J & l. 1. in f. ff. ad SCT. Tertull.* præſcriptionem accenſet rei judicatæ & transactæ: & quod hac acquiſitum eſt, id ne Princeps quidem alicui auferre poteſt, Weſenb. *Conſ. 5. n. 40.* Menoch. *Conſ. 748. n. 37. & Conſ. 887. n. 54.* Nec facit, quod præſcriptio videatur in ſe continere aliquid iniqui, referente Bl. *in l. 1. §. 3. ff. de Poſtul.* dum ſcil. aliquis cum alterius damno locupletatur, quod eſt contra *l. 206. ff. de R. J. l. 14. ff. de Condict. indeb. l. 6. §. 3 ff. de Neg. geſt. c. 48. de R. J. in 6o.* ob rationes enim jure Ciuili expreſſas ſuſtinetur. (1.) ne dominia rerum ſint in incerto, *pr. J. de Vſucap. & long. tem. præſcript.* & vt (2) ſit finis litium, nec immortalem progreſſum, qui vitæ humanæ modum excedat, ſortiantur *l. 13. pr. C. de jud. l. 21. in f. C. de fid. inſtr. l. 2. C. de re jud.* Nec facit, quod prior Dominus damnum ſentiat, illud enim non videtur ſentire, cum ejus culpa eueniat, Pomponius *in l. 203. ff. de R. J.* Accedit, quod vi dominii eminentis (quod nomen alii, licet non rem ipſam, præter rationem faſtidiunt) ſeu facultatis in priuata, tendentis principi jus & fas ſit, diſponere de bonis priuatorum ad ſalutem vniuerſi, conferatur eruditiſſ. Hornius *in polit. architect. Lib. 2. cap. 4.* Quod vero dictum eſt præſcriptione immunitatem a collectis acquiri poſſe non intelligi debet de Præſcriptione longi temporis, imo ne quidem de ea, quæ habet terminum triginta vel 40. annorum. Nam contra regalia, ad quæ jus

exigendi collectas indubie pertinet, non niſi immemorialis præſcriptio opponi poteſt, atque ita immunitates a functionibus publicis, & non aliter præſcribuntur *l. 4. & 6. C. de præſcript. 30. vel 40. ann.* Schurff. *cent. 3. Conſ. 94. n. 48.* Crauetta *Conſ. 111. n. 25.* & hoc procedit non ſaltem de Jure Ciu. ſed etiam quoad vſum imperii, quo ſancitum, ne præſcriptio procedat, niſi memoriam omnem excedat vetuſtas, wann gegen ihme nicht dargethan werden könne, daß er je in Menſchen Gedächtniß in des Reichs gemeinen und nicht privilegirten Hülfe contribuiret, Arnif. *Lib. 2. de J. Maj. c. 2. n. 6.* Tilem de Benign. *Synt. deciſ. 4. vol. 1. n. 59. 96. 11.* nec receſſum facit Jus Saxonicum, licet diſſentiat Modeſtin. Piſtor. *part. 1 quæſt. 42. n. 10.* quem reprobat Carpzou. *2. 3. 24.* adeo vt venatio non niſi tempore immemoriali præſcribi poſſit; Quæ hactenus dicta ſunt, procedunt, quando ſubditus contra Superiorem v. g. Dominum territorii præſcribit, aliud itaque dicendum, ſi quæſtio inſtituatur inter Status imperii vel etiam immediatos, tum præſcriptio vel longi vel longiſſimi temporis pro caſuum diuerſitate locum habet; ſic jurisdictio longo tempore contra parem vel inferiorem poteſt præſcribi, B. Dn. Struu. *Exerc. 43. theſ. 16. in fin.* Imo & contra Dominum territorii præſcriptionem 40. annorum quandoque ſufficere volunt, his requiſitis concurrentibus (1) ſi adſit bona fides a parte Præſcribentis, (2) prætendens præſcriptionem interpellatus ſit, ſola enim præteritio non ſufficit, licet vicini ſoluerint, & denique 3. ſi titulis aliquis accedat; primum ideo neceſſarium eſt quia nulla præſcriptio procedit ſine bona fide, quæ de Jur. Ciu. circa initium, de Jur. Canon. (quod ſequimur) vſque ad complementum vſucapionis exigitur. Secundum propterea quod non detur præſcriptio ſine poſſeſſione, hæc vero in tali jure negatiuo, ex eo ſolum, quod aliis ſint collectæ impoſitæ, ipſo præterito, quaſi poſſeſſio non ſit acquiſita, niſi animum poſt

requi-

requiſitionem factam declararit, dicendo ſeſe non teneri, quod tertium attinet, volunt ſufficere titulum coloratum, & ſane ex diuturna poſſeſſione præſumitur titulus interueniſſe, citra aliam probationem Wincelærus *de Collect. Obſ. 18.* Roſenth. *de Feud. cap. 5. concl. 84.* An vero talia bona, quorum immunitas præſcriptione acquiſita eſt, poſſidens, ſi nolit onera indicta ſuſtinere, ex hoc alii ciues debeant grauari? vid. apud Thomat. *in Tr. de collect. p. 495.*

§. LIV.

Illud monendum, quod Præſcriptio centenaria non ſtatim ſit immemorialis, nam probatis centum annis non ſtatim probata eſt præſcriptio immemorialis, cum eius temporis memoria adhuc in contrarium conſtare poſſit, quo ipſo non eſt immemorialis vid. eleg. Carpzou. 2. 1. 7. vbi etiam modum conficiendi articulos probatorios in praeſcriptione immemoriali exhibet. Denique & illud notandum, quod praeſcriptiones in Collectis & tributis Imperatori in ſignum recognitionis Vniuerſalis dominii & ſubjectionis debitis non procedant. *d. l. 6. C. de Præſcript. 30. vel 40. ann.* Menoch. *Conſ. 887. n. 34.* ſed tantum in prouincialibus *l. 14. C. de fund. patrim.* Et ſane nexus ille ciuilis diuinitus conſtitutus, vi cujus tot millia vnicum ſpiritum in Republ. trahunt, nullo modo diſſolui poteſt; hinc communis illa regula nata: nemo vllo juris praetextu ab imperio eximi poteſt, ſc. illo exemtionis genere, vi cujus quis imperii jugum excutere vellet; Sic omnimoda libertas & ſuprema jurisdictio in aeternum praeſcribi non poſſunt, Doctores in hanc rem citatos videre licet apud Vietorem *de Exemt. Imperii. Concl. 12.* Hinc ex *l. 6. C. de Præſcript. 30. vel 40. ann.* colligunt Dd. Subditum nullo tempore praeſcribere poſſe libertatem aduerſus principem, quia ſuperioritas Principis & obedientia illi debita quaſi ſupremae poteſtati Principum innata eſt. Brunnem. *ad cit. l. 6. C. de Præſcript. 30. vel. 40. ann.* Quod vero dictum eſt, non

 proce-

procedere exemtionem ab imperio Cæſari competente, nec per præſcriptionem immemorialem, haud extendi debet ad talem, quæ procedit ſalua Cæſaris ſuprema jurisdictione, ita vt Status exemtus maneat pars Status, eximentis ſub imperii fide; hæc in imperio non incognita eſt, & procedit maxime, ſi munita ſit præſcriptione temporis immemorialis. Vietor *de Exemt. Concl. 17. n. 12. & ſeqq.*

§. LV.

Sed quo remedio collectæ exigi debeant, erit jam perſpiciendum: conſtat autem, quòd extremis mundi temporibus contra pauperes ſubditos, Ciues & Ruſticos procedatur ſæpe inclementer & modo pietati non conueniente, quod ipſum maxime nocumento eſſe ſolet. Sint itaque Exactores clementes, non tyranni, qui exactione Collectarum Subditos nimium premunt & pene opprimunt; habeant ſe erga eos paternali amore, omniaque manu leuiori tractent, cogantque omnes ſuauiter & ſine vi impellant *l. 2. C. de Exact. tribut. l. 6. pr. & § 9. ff: de Off. præſid.* Wurmſer. *1. pract. 28. c 8.* ne ærarium fiat ſpoliorum cruentarumque prædarum receptaculum, vt loquitur Althuſ. *in pol. c. 8. fol. 87. Exod. c. 22. v. 25.* Et quamuis indubitatum, quod in colligendis collectis ſine ordine judiciario, via executiua procedi & ab arreſtis inchoari poſſit, Baldus *Conſ. 238. lib.* 1. & *Conſ. 438. lib. 3.* Quod dicit idem Bl. *in l. 5. C. de Execut. rei jud.* Crauetta *Conſ. 111. n. 2. & 19.* quia in collectis legitime & rite conſtitutis nulla dilatio facile conceditur, ſed para executio intenditur *l. 10. ff. de fer. & dil. l. 6. C. de Exact. trib. l. 5. C. de Feriis. Nou. 17. c. 8.* Menoch. *Conſ. 75. n. 103.* attamen juris expediti eſt, quod abſque omni cauſæ cognitione ab executione inchoandum non ſit *l. 58. ff. de re jud. l. 9. C. de Obl. & Act.* quoniam repugnat æquitati & juri, per *l. 1. pr. ff. de requir. vel abſent. damnand.* Gloſſ. *in Clement. 2. verb. defenſiones. de V. Signif.* & ſi fiat, remedia introducta ſunt iis, qui grauantur *Nou. 119.* de quibus agit late Klock.

Digitized by Google

Klock, *de Contrib. c. 19.* Sic debet liquido conſtare de exceptione legitima, quæ neceſſitatem ſoluendi declinari valet, deque exceſſu in exigendo *l. 8. C. quorum appell. non recip. l. 5. C. de J. Fiſci,* Cujac. 12. *Obſ. 6.* vel etiam de malitia Exactorum, aut de notoria iniquitate & iniuſtitia. Florez. *q. 12. n. 246.* alias in collectis non admittitur appellatio *l. 4. C. quorum app. non recip.* maxime quoad effectum ſuſpenſiuum, ſicut nec appellare ab executione decet. *l. 4. in pr. ff. de appellat. rec. l. 21. C. de appellat. & Conſultat.* Licet alias appellatio ſpecies ſit defenſionis *c. 15. & 16. X. de appell.* quæ nulli Hominum eripienda, ſed per interpretationem juſtam potius adjuuanda, quam per ſtrictam diſpoſitionem conſtringenda *l. 1. & t. t. ff. & C. de appellat.* Cæterum juſta defenſio & legitima cauſæ cognitio, nec per ſtatutum, nec a Principe, etiam in illis cauſis, in quibus ſolet ſummarie procedi ſine ſtrepitu & figura judicii, tolli poterit, vt eleganter pontifex in *Clement. 2. ſub fin.* commonſtrat.

§. LVI.

Hic non immerito quæritur, an debitor, qui ex animi quadam obſtinatione debitas non ſoluit Collectas, in carcerem detrudi jure poſſit? quamuis hoc valde rigoroſum, & Jure Ciu. ſaluberrime conſtitutum ſit, ne quis pro debito ſeu onere incarcerari & ad exſoluenda debita per capturam cogi debeat, text. *in l. 1. & ſ. poſt pr. verſ. & omni corporali cruciatu remoto, C. qui bon. ced. poſſ. Nou. 4. c. 3. l. 175. ff. de R. J.* Gail. 1 *Obſ. 26. num. 1.* & Creditor curans aliquem pro debito capi, non ſolum credito cadat, & a Judice loci corporalibus ſubdatur pœnis, text. in Auth. *imo a debitore &c. C. de O. & Auth. Sed omnino, C. ne vx. pro marito &c Nou. 134.* Beuſt. *ad l 31. ff. de iurej. n 343. poſt pr.* Contrarium tamen patet ex text. *in l. 9. §. 6 ff. ad L. jul. pecul.* vbi dicitur, quod quis pro collectis & publicis exactionibus debitis Magiſtratui bene capi poſſit, licet hoc durum videatur, teſte Bl. *ad l. 2. C. de Epiſcop. audient.* quo alii eorum exemplo perterriti proſilere ad ſimilia merito perti-

pertimeſcant, *Clement. 1. in fin. de Off. jud. Ordin.* Caeterum placet obiter monere, quod Dd. triplicem carcerem conſtituant, *l. 2. C. de Exact. trib.* Vnum pœna, ſiue ad certum ſiue incertum tempus, quo poſteriori caſu, vt & alias damnatione in metallum, ad decennium intelligitur condemnatio facta *l. 23. ff. de pœn.* Alterum cuſtodiae, quae operatur tandem pœnae executionem adu. carceratum *l. 3. ff. de Cuſtod. reorum l. 2. verſ. carcer. noxiorum. C. de Exact. trib.* & Tertium pœnitentiae *c. 3. ibi in perpetuum X. de pœn. in 6to l. 8. §. 9. ff. de pœn.* His tribus & quartum ſubnectere annisi fuerunt, quem vocant taedialem, per ill. text. *verſ. ſi quis in obdurata &c.* propter moleſtiam videlicet & taedium, quod captiuo injicit illa commoratio diuturna in vno eodemque loco; Weſenb. *Conſ. 43.* Quod vero noſtram quaeſtionem attinet, putarem, ſupra dicta de nudo potius arreſto intelligenda venire, ita vt debitor in loco aliquo ſeu in libera cuſtodia arreſtetur, non vero in carcerem detrudatur, per *l. 2. C. de Exact. trib.* Gail. 2. *Obſ. 26. n. 1.* incarceratio enim ſpecies eſt executionis Bart. *in l. 39. n. 3. ff. ex quib. cauſ. major. &c.* Alex. *in l. 15. §. 2. n. 5. & 6. ff. de jud.* quae in perſonam, quamdiu bona ſuppetunt, non ſtatim decerni debet *l. 3. §. 13. ff. de ſuſp. tut. &c.* niſi conſuetudo vigeat in contrarium, quae rectrix dicitur Collectarum, ita vt quae juxta illam imponuntur, remittuntur, exiguntur, regulam communem habere cenſeantur, *l. 30. §. 3. c. de agric. & cenſ.* Cacher *deciſ. 13 in f.* Meu. *p. 3. Dec. 205. n. 8.* Et licet quodammodo durum videatur, debitorem incarcerari pro debito pecuniario, ſufficit tamen ita Principi placuiſſe, juxta vulg. *Sic placuit magno, qui nos deuinxit Othoni.* Gloſſ. *c. vn.* ibique Phil. Franc. *X. de ætat. & qualitat. in 6to.* Caeterum vſitatiſſimus modus procedendi contra non ſoluentes collectas hodie eſt, pignorum captio, eorumque diſtractio, in qua tamen obſeruanda ſunt, quae leges praeſcribunt, ſic 1. debet, eſſe ceſſatum a ſolutione, 2. fieri bona fide, 3. juſto pretio, 4. authoritate Magiſtratus & 5. publica ſub haſta diſtractione Klock. *de Contrib. c. 18. n. 61.*

Thes.

§. LVII.

Cum in ſuperioribus actum fuerit de remedio obtinendi collectas per modum executionis, reſtat vt agamus de alio quod per viam actionis expeditur, & cum ſecundum Philoſoph. ſcholam fruſtra ſit potentia, quæ nunquam traducitur in actum, Stahl. *P. 1. C. 3. R. 2. h. c.* nihil ita conduceret, conſideraſſe collectas absque effectu, h. e. actionibus Collectarum nomine competentibus. Conſtat vero actiones ab Imperatore noſtro diuidi in reales & perſonales, & hanc diuiſionem ab ipſo ſummam nominati, quod tamen ſano ſenſu intelligi debet atque ſaltem de actionibus natiuis, quæ dantur ex jure rerum, vt ita excludantur accuſationes ſ. perſecutiones criminum, quæ agitantur in judiciis publicis, 2. actiones præjudiciales quæ dantur ex Jure perſonarum, 3. remedia poſſesſoria, quæ ratione poſſeſſionis, vel adipiſcendæ vel redinendæ vel recuperandæ dantur, nec minus 4. actiones quæ a Bachou. dicuntur datiuæ, quo referri poteſt actio quod metus cauſa Pauliana, ad exhibendum &c. Cæterum quod reales attinet, illæ ſunt quæ in ipſam rem deuictam competunt, ſeu quibus agimus contra quemuis rei noſtræ poſſeſſorem, *l. 24 in pr. ff. de O. & A. l. 1. C. vbi in rem act.* quarum actionum propria ſunt, 1. quod non oriantur ex obligatione aliqua, ſed ex re noſtra ab aliquo poſſeſſa *l. 32. ff. de R. V.* (2) quod dentur contra poſſeſſorem vel vere talem vel ficte, qualis eſt, qui dolo deſiit poſſidere, aut qui liti ſe obtulit; & hæ iterum ſunt vel ciuiles vel Prætoriæ, illæ rurſum vel ratione rei corporalis vel incorporalis *§. C. pr. J. de act. t. t. ff. ſi ſeruit. vind. l. 5. §. vlt. in f. ſi vſusfr. pet.* ratione rerum incorporalium datur vel confeſſoria, quæ jus ſibi competere aſſerenti datur *l. 5. §. 7. ff. ſi vſusfr. pet. l. 2. pr. l. 4. §. 1. ff. ſi ſeruit. vind.* vel negatoria alias contraria *l. 8. pr. ff. d. t.* quæ Domino negauti rem ſuam alteri ſeruire, competit. Bachou. ad Treutl. *vol. 1. d. 4 th. 10 lit. C.* Perſonales autem ſunt, quæ in perſonam directæ ſunt, & quibus agimus contra perſonam obligatam nobis ex contractu ve-

ro vel quaſi, ex delicto vel quaſi. Quod vero attinet remedia, quæ dantur ratione collectarum, illa ſunt vel petitoria vel poſſeſſoria, ad illa pertinet actio hypothecaria (nam pro Collectis bona Subditorum pignore legali ſeu tacito afficiuntur, vti ſupra dictum) & actio Confeſſoria vtilis (directa enim datur ratione ſeruitutum, vtilis vero ad alia jura aſſerenda. vid. B. Dn. Struu. *Ex. 13. th. 43. in f.*) it. quandoque Condictio ex LL. Ad remedia poſſeſſoria pertinent interdicta de vi, & vti poſſidetis, quænam Actori hoc vel illo agenti probare incumbant, vid. apud Klok. *c. 19. per tot.* Sine ratione itaque Bald. *in l. 1. C. de ann.* dubitanter dicit, nullam actionem pro tributis oriri poſſe, nam ſi dicis perſonalem contrahi, vti ipſe loquitur, male dicis, quia non ſequeretur rem, ſin dicis realem fore, quærit vnde veniat, omnis enim actio realis venit ex jure in re v. gr. dominii, ſeruitutis, neutrum habet Fiſcus. Sicut & ipſe tandem concludit, quod officium Judicis locum habeat, cui accedat hypotheca. Imo oſtendi poteſt & perſonalem pro collectis competere ſc. ex Subditorum pacto & conſenſu *l. 1. ff. de Pact.* placitando collectas vel patiendo res deſcribi vel in æſtimum referri. Cacheran. *Deciſ. 68. n. 23.* vel ſubeundo incolatum aut domicilium. vid. Wincelærus *de Collect. Obſ. 26.* Sciendum autem, quod licet per modum actionis procedatur, ipſa tamen cauſa ſummarie pertractetur: ſic juxta Bl. judex perquirere poteſt libros rationum, & ſi reperiat conuentum non ſoluiſſe, faciet contra rerum executionem, niſi per rerum oſtendatur apocha ſoluti muneris; In Camera Imperial. juxta cit. Winceler. ad Inſtantiam Fiſci decernuntur mandata ſine clauſula ſub pœna banni, contra Dominum; ad inſtantiam vero Domini contra Subditos ſub pœna dupli.

§. LVIII.

Illud cuilibet facile conſtat, quod e diametro æquitati non conueniat, ſi collectæ hujusque generis aliæ contributiones in alium, quam cui principaliter dicatæ ob neceſſitatem pu-

blicam

Digitized by Google

blicam efflagitantem, vertantur vſum, quoniam hæc machinatio redolet ſpeciem delicti, & ſane pecunia exacta nunquam non parata eſſe debet pro neceſſitatibus Reip. vt patet ex *l. vn. C. de aur publ. perſec.* Florez. *pract. quæſt 21. num. 162. & ſeqq.* Turpiſſimum igitur imo terra pejus nihil alere videtur illis hominibus, qui alienis ſudoribus ſuas res augent & bene delicateque de iis contra jus & fas viuunt *l 17. §. pen. ff. de inſt. act. l. 14. ff. de Condict. indeb. l. 11. C. de agric. & cenſ.* propterea Theologus ille Pract. Valer. Herbergerus in Magnalibus Dei, illos homines appellauit Excoriatores pauperum & deuoratores Ciuium, Imperatorem Claudium Tacitum ſecutus, dicentem: qui ſibi bonus aliis eſt malus, **wer nur auf ſeinen Vortheil denckt, der taugt für andere Leute nicht.** Sane, ſi originem collectarum introſpiciamus, notum eſt, quod illa neceſſitatem publicam tanquam cauſam neceſſariam præſupponat, Socin. *Conſ. 18. n. 9. vol. 4.* hinc Collectantes vel collectarum Exactores illas in vſus alios peſſime conuertunt, potius ſi neceſſitas, ob quam collectæ imponebantur, ceſſat, ceſſent quoque collectæ æquum eſt, juxta reg. log. ceſſante cauſa ceſſat effectus, ceu pronunciat Innocent. III. *in c. 60 X. de appell. & c. 26. in f. X. de jurejur.* Non ita expeditum, quid ſentiendum, ſi poſt exactionem Collectarum, quæ deſtinatæ in hunc vel illum vſum, alia neceſſitas ſuperueniat, an in talem vſum collectæ, inconſulto populo impendi queant? vid. Thomat. *de Collect. p. m. 515.* vbi pro & contra hanc quæſtionem tractat, ipſe negatiuam ſuſtinet, atque inter alia ita ſcribit: *Ideo imprudenter agunt Conſules & Syndici locorum, qui nulla præcedente ordinatione Conſilii accipiunt pecuniam ab exactore, & illam impendunt in alium vſum diuerſum ab indictione, quo fit vt in earum ratione reddenda talia expoſita etiam bona fide citra ordinationem conſilii acceptari non debent per vniuerſitatem ſed de proprio reficere tenentur; &c.*

§. LIX.

Vlterius ſcire expedit quid judicandum ſit de Exactoribus Collectarum, qui adulterinam pro bona & recepta moneta ſurrogant, imo quod maximum eſt, qui publicas illas pecunias in propriam conuertunt vtilitatem, ex iis mercaturam facientes? indubitati autem juris eſt, quod commodum ex pecunia ejus eſſe debeat, cujus eſt pecunia, *l. 20. ff. de Præſcr. Verb. l. 13. §. 2. ff. commodat.* Bart. *in l. 7. C. de ſuſcept.* & jura minime faueant ejusmodi peculatoribus, vt Dd. loquuntur *l. 2. C. de his quæ ex publ. l. 1. & t. t. ff. ad L. jul. per.* dignosque cenſeant priuatione omnium officiorum ac dignitatum, quibus fuerant ornati *l. 12. C. de dignit.* quia furibus pares æſtimantur *in l. 81. ff. de Furt. l. 2. C. de Off. Præſ. Prat. Orient.* Reip quique maxime intereſt, vt occurratur huic malo, ne, dum impunita maleficia ſunt, quod foret contra jura *l. 51. §. 2. fere ſub f. ff. ad L. aquil.* Gail. 1. *Obſ. 70. n. 20.* hoc, ceu res mali exempli latius, ſerpat, *l. 38. §. 5. ff. de pœn.* Proceſſus itaque ſummariiſſimus cum illis ſuſcipitur *l. 4. C. de conu. Fiſc. debit. l. 3. in f. C. de Sport.* & illis, quippe qui indignos ſe omni juris beneficio reddiderunt, appellatio denegatur *l 3. & 8. ibique Dd. C. quorum ap. non. recip.* Hunn. *reſolut. ad Treutl. de priu. delict. lit. E. th. 1. quæſt. 10.* rem non ſolum inuito Domino contrectant, ſed etiam perfide agunt, Heig. *ad §. 6. J. de Obl. quæ ex del. naſc.* Sicut & de J. Ciu. iſtud crimen furto (quod illis temporibus ad delicta priuata referebatur ſecus ac noſtris moribus, vbi ad judicia publica pertinet) grauius eſſe videbatur, dicebaturque crimen de reſiduis, quod committebant non ſaltem illi, qui pecuniam publicam ad aliquem vſum deſtinatam, in illam cauſam non expendebant, ſed penes ſe retinebant *l. 2 ff. ad L. jul. pecul.* Decian. *in Tract. Crimin. Lib. 8. c. 28. n. 18.* Sed & qui in proprios vſus iſtam conuertebant, Decian. *cit. lib. c. 31. n. 2.* Non tamen ita graue reputabatur·

tabatur vt *crimen peculatus*, grauius enim viſum pecuniam publicam furari vel interuertere dolo & fraude, quam qua ex voluntate publica eſt commiſſa vt in certos vſus expendatur, illam retinere vel pro parte vel in totum, Gregor. Tholoſ. *lib. 33. cap. 20.* Pœna eſt triplum ejus quod debetur *l. 4. §. 4. ff. ad L. jul. pecul.* daturque hoc judicium in heredes, *l. f. ff. eod.* Cæterum ejusmodi officiales furtum quoque facere & actione furti teneri, probat Mindan. *lib. 2. de mandat. c. 13. num. 51. & 52.* De Pœna illorum tam quoad jus Cæſar. quam Saxon. & vel commune, vel Electorale, vid. Carpzou. *in Criminal. quæſt. 81. n. 10. & ſeqq.* Scilicet qui pecunias ſuæ adminiſtrationi concreditas, (quo referri poteſt pecunia, quæ pro collectis Exactoribus a Subditis ſoluta) doloſe ſubtrahunt, pœna laquei non puniuntur, ſed alia arbitraria juxta judicis arbitrium, quam regulam plurimis rationibus confirmat Carpzou. *loc. cit. n. ſeq.* atque ita in foro Saxon. communi practicari teſtatur *n. 15.* Ceterum jure Electorali aliud inualuit, ſecundum quod videndum, an pecunia fraudulenter interuerſa ſit infra 50. florenos, tunc pœna carceris vel alia arbitraria locum habet, an vero iſtam ſummam excedat, non tamen aſcendat ad 100 flor. tunc fuſtigatio cum perpetua relegatione infligitur, an denique ſummam 100 floren. æquet, hoc caſu delinquens laquei ſupplicio afficitur, verbo Conſtitutionis ſunt, **würde dann bemeldete Summe auf 100. fl. Münze oder darüber ſich belauffen, ſollen ſie mit den Strange vom Leben zum Tode geſtrafet werden.** Sciendum tamen, quod ſi adminiſtrator non doloſe ſed ex negligentia quadam quid omiſerit, vel pecuniam quidem in vſus proprios conuerterit, ſed animo poſtea reſtituendi, ſupradictæ pœnæ ceſſent nec tamen ab omni pœna immunis eſt, ſed arbitrariam ſuſtinere debet. Quod decoctores pecuniæ publicæ attinet, illi pœnis de quibus *in l. 40. C. de Decurion.* ſubjiciendi ſunt: hoc pertinet crimen, quod committunt, qui vltra

modum ab vniuerſitate inſtitutum collectas exigunt; ſane non ſolum de exactis rationem reddere tenentur, Guid. Pap. *quæſt 87. loc de penu. in l. 7. C. de Cohortalibus*, ſed tenentur etiam pœna falſi & concuſſionis, ſeueriusque in eos animaduertendum: addatur omnino Thomat. *d. Collect. p. m. 505.* ibi: *Exiſtimo quod etiam poſſit puniri pœna L. Juliæ peculatus* & in ſequentibus: *punitur etiam ſi plus debito & abſque violentia exegerit, in duplum, ſi autem violenter in quadruplum l. 8. C de Excuſat. mun. & ſi perſeuerat in exigendo plus debito mala fide, remouetur ob officio & capite punitur*, & paulo poſt *ſi vero non continuata exactione ſemel tantum commiſerit, extra ordinem punitur.* Quo vero omnis calliditas & dolus euitetur, in nonnullis locis receptum eſt, vt tales adminiſtratores olim quidem intra annum, hodie intra menſem fere, a cujusque penſitationis die computandum, rationes reddant & quidem exacte atque integre & plene, vt exemplis hoc comprobat Bl. *in l. 6. num. 17. C. de condit. inſert. l. 2. §. 2. ff. de adminiſtr. rer. ad Ciuit. pertinent. vid. l. 53. ff. de manumiſſ. teſt. Dd. in l. 1. C. de err. calc.* Et niſi hoc faciant, ad exemplum Tutorum qui ſe ſuſpectos reddunt, doli ſpeciem præ ſe ferunt Bart. Socin. *Conſ. 46. n. 5. & 6. vol. 1.* & juratur contra eos in litem *l. 5. ff. de in lit. jur.* Bart. Bl. *in l. 1. § 3. ff. de Tut. & rat. diſtr. &c.* Cautius itaque procedant, & obſeruent ea quæ refert Weſemb. *Conſ. 47. n. 14.* ſcilicet Adminiſtratorem Collectarum præcipue perſpectas habere debere circumſtantias, *quid, vnde*, ex *quo* & *cui datum* & *acceptum* ſit, illasque accurate conſignare in libro rationum, *l. vlt. ff. de condit. & demonſtr.* Obiter & illud incidit notatu dignum, quod in antiquis LL. & quidem in *l. vn. C. de Contract. jud.* Præfectis, Quæſtoribus & Burgi Magiſtris, in eo quo habitant loco, mercaturam exercere prohibitum ſit, ne ob commodum priuatum curam Rerumpubl. poſtponant. *l. 23. ff. ſi cert pet.* Sic nec Exactores Collectarum durante exactione debent ſolicitudinem alterius officii

ſuſci-

ſuſcipere, nec patrocinium in aliqua cauſa præſtare, donec ab illis reſponſum ſit ſuper actionibus & rationem compleuerint, *l. vlt. C. de Execut. & Exact.*

§. LX.

Denique cum res omnis præſumatur potius libera, quam obligata vlli oneri *l. 8. & 9. C. de Seruit. & aq.* Bl. *in l. 4. ff. de Stat. hom.* Gail. *2. Obſ. 69. n. 4.* Hoſtienſis *in c. 30. X. de jurej.* Bald. *Conſ. 351. in bon. feud. col. 2. lib. 1.* Paul. de Caſtr. *Conſ. 129. in cauſæ quam Magnificus* &c. *col. 1. ad f. lib. 1.* Crauetta *Conſ. 111. num. 9. & alii Dd.* & libertas fauorabilis res ſit *l. 21. l. 107. 137. §. vlt. & l. 140. ff. de R. J.* non ſaltim illa quæ competit Perſonis ſed & rebus. Hinc ſuperior collectas rebus quæ non ſeruiunt ſine juſta cauſa imponere non poterit; præterea ſi quicquam vltra ſolitam & conſuetam moliatur collationem, ab hoc vt deſiſtat cogi poteſt, quoniam vltra modum & vires patrimonii nemo collectandus, & vti bona, ita & libertas vel immunitas bonorum alicui ſine præcedente culpa auferenda non ſunt, alias pellem Populorum excoriare dicitur, vt eleg. Bl. *in l. 20. ff. de Jur. & Jur.* ſcribit: reſarciri itaque & reſtitui omne id debet, quod injuſte & nouiter expreſſum fuit, per *l. 23. §. 1. in med. verb. caueant. C. de agric. & Cenſit.* & Collectæ ſubſiſtere diu nequeunt, ſi initium ſortiantur violentum h. e. ſi vi metuque vel fraude, alioue dolo extortæ fuerint, imo vi injuſta impoſitæ ipſo jure pro nullis habentur, *l. 5. pr. ad L. jul. de vi publ.* Propterea ejusmodi ſpecies collectandi in jure reprobatur *arg. l. 1. C. ne. quis liber inuitus &c.* Dec. *Reſp. 41. n. 16. t. 2.* & quando exceptio tali modo opponitur, attendenda erit, danturque grauatis alia remedia, de quibus latiſſime Klock. *de contrib. c. 19.* in compendio vero de illis egit Schuz. *vol. 2. D. 11. theſ. 10.* ad quos Authores me breuitatis cauſa remitto. Hæc de ampliſſima Collectarum materia inpræſentiarum pro ratione inſtituti ſuffi-

ſufficiant, in quibus ſi quædam minus recte a me ſcripta ſunt, correctioni & limæ melius ſentientis me ſubjicio. Deus vero Opt. Maximus, qui mecum in vitæ meæ primordio fuit, maneat quæſo in ejusdem exitu, ipſi ſit laus, honor & gloria in ſempiterna Secula,

F I N I S.

COROLLARIA

(1.)

Num dentur ἀντινομίαι *ſeu LL. in jure pugnantes? Neg.*

(2.)

Num aduocatus in cauſa bona ad vincendum Aduerſarium fallacia & deceptione vti poſſit? Neg.

(3.)

Num in jure dentur caſus pro amico? Neg.

(4.)

Num in æſtimatione ratio ſit habenda affectionis? Neg.

A01 1475613

Digitized by Google

Digitized by Google